GAZOP
LINGV
PERSA

A
6-39

~~25 w 13~~

270-2-13

Nº 1
9-1825

3
25-121

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 6
Tabla
Número 39

R-5191

لغة فرنك وپارس تاليف بنده وقربان حضرت ايسوع

پاوري انجلف كرمليط مولون شهر وديران عظيم ممالك فرنسه طولوزه

GAZOPHYLACIUM LINGUÆ PERSARUM,

Triplici Linguarum Clavi

ITALICÆ, LATINÆ, GALLICÆ,

nec non ſpecialibus præceptis ejuſdem linguæ reſeratum.

Opus Miſſionariis Orientalibus, Linguarum Profeſſoribus, Sacrorum Bibliorum Scrutatoribus, Mercatoribus, cæteriſque Regionum Orientalium luſtratoribus perutile, ac neceſſarium.

AUTHORE

Reverendo adm: **P. ANGELO à S. JOSEPH,** *Carmelitâ Excalceato, Toloſano, Miſſionario Apoſtolico, Superiore Miſſionum ſui Ordinis in Belgio.*

BIBLIOTECA IMPERIALE DI VIENNA

AMSTELODAMI,

Ex Officinâ JANSONIO-WAESBERGIANA: Anno 1684.

Cum Privilegio Regis Chriſtianiſſimi.

SANCTISSIMO D. N.

INNOCENTIO UNDECIMO,

PONTIFICI MAXIMO:

Indignus filius, ac inutilis servus in Christo,

Fr. ANGELUS à S. JOSEPH,

CARMELITA EXCALC. TOLOSANUS

Annos Petri, æternamque Felicitatem.

SANCTISSIME PATER.

DUm BEATITUDO TUA tot gazas pro bello sacro contra Turcas profundit, ego Linguæ Persarum Gazas ad pedes tuos adgerere non contremisco; ex quo enim SANCTITATIS TUÆ proprio motu, per epistolam Eminentissimi D. CARD. CIBO ad URBEM vocatus, nec non ad alloquium, prô felicitas! ultra duas,

treſve horas non ſemel accerſitus; hæc ignei tui pectoris oracula ſacro ex ore cordi meo altius inuſta recolo : *Suppetunt nobis & vires, & animi*, inquiebas BEATISSIME PATER, *ut his quidem noſtræ ſenectutis annis, ultra Inſulas Archipelagi transfretemus ad claſſis & exercitus frontem, ſi Chriſtiani Principes in ſacrum bellum motu unanimi conſpirarent: Nos ad Mohammediſmum eliminandum ab orbe, luxum atque peccata, quæ iram Dei provocent, cordium Principum nexum inhibeant, extirpare contendimus; armatura porro veſtra, Miſſionarii, Doctrina eſt, & linguarum uſus; placebunt nobis propterea ſuæ paternitatis labores, & editiones ad adoriundos Perſas, ſiquidem inter Mohammedis ſectas, unam hujuſce gentis eſſe novimus, quæ à rationibus, atque controverſiis non abhorret.*

His, inquam, Divinæ paræneſis ſtimulis exagitatus, *in ſpem contra ſpem credidi*, innumera incredibilium difficultatum repagula perrupi, ac tandem Gazophylacium utique, non auri, aut argenti è terræ viſceribus effoſſum, ſed verborum, ac vocum in Perſiæ meditullio diutius præconceptum, ad Eccleſiæ, ſed ad Europæ præſertim ſuppetias, tibi SANCTISSIME PATER, utriuſque Moderatori, ac Duci conſecrare præſumo: litant porro verba, & voces verbo Tuæ Benedictionis, ac voci, quâ etiam protinus Gazophylacium noſtrum in Apoſtoli-

cum

cum armamentarium convertatur, ex quo Ecclesiæ pugiles materiam depromant inexhaustam gladiorum Spiritus, ac sagittarum; quibus confossis, quasi propriis armis, Persarum cordibus, (qui Mohammedanorum Triarii sunt) Turcarum pariter, Arabumque pectora iisdem ictibus transfigantur, nec non perennes compellantur triumphos victrici Christi gratiæ decantare. *Fiat: Fiat.*

Amstelodami Kalendis
Ianuarii 1684.

PRO-

PROLOGUS.

ANno 1662. die 28 Januarii, Toloſâ profectus, cum Chariſſimo meo in Chriſto F. Cherubino à S. Joſeph, nunc Provinciæ Noſtræ Aquitaniæ R: adm: P. N. Provinciali Maſſiliam perveni; hinc R: adm: P. N. Philippo à SS. Trinitate, tunc primo Definitori, ac deinde Præpoſito Noſtro Generali comites adjuncti, nec non Maſſiliâ ſolventes ipſo Dominicæ Reſurrectionis pervigilio ejuſdem anni Romam pervenimus, ibidemque ſimul verſati in gymnaſio Miſſionum S. Pancratii, ubi R. P. Cœleſtinus à S. Ludovina Batavus Lugdunenſis, celeberrimi Domini Jacobi Golii germanus frater, nec non Arabicâ linguâ ad ſtuporem eruditus, Cathedraticam obtinebat, ſub cujus equidem diſciplina hujuſce linguæ elementa prælibabam.

Anno 1663. Ad Miſſiones Orientales deſtinatus ſpeciali SS. D.N. Alexandri VII. nutu profectus ſum cum tribus Miſſionariis Sociis die 12 Novembris: Lecto Italiæ, ac Siciliæ littore, Melitam appulimus, ubi Arabicæ, ſeu Affricanæ illic vigentis linguæ genium non nihil arridebat; hinc Smirnam venimus die 5 Maii, 1664. ubi linguarum præſertim Græcæ, Turcicæ, Perſicæ, & Armenicæ fragore paſſim captato, promptuarium quoddam vocabulorum inferebam pugillaribus, quæ deinceps in itinere quatuor menſium per Turciam, ac Perſiam blaterabam, donec Aſpahanum pervenimus die 4 Novembris 1664.

Exercitabatur in cœnobio noſtro litteratura Perſica ſub R: P. Balthazare Luſitano, quem hactenus veneror hujuſce linguæ Hermetem: immenſam enim troporum farraginem, quam amaro ſtudio ad canitiem uſque hauſerat è poëtis Perſicis, aliiſque authoribus, chimicâ, ut ita dicam, compendioſâ nempe, gratâque methodo exponebat. Paucis poſt menſibus cœpi è muſæo ad forum prodire absque interprete, è foro ad ſuggeſtum; denique Reſidentias noſtras Perſidis, & Arabiæ peragrans, modò Mathematicos, modò Medicos, & utrimque Controverſiſtas ſuſtinebam Perſas, cum quibus conatus mirificos neceſſitas exerebat, & obligatio; afflabat interim ætatis vigor tot Perſarum authorum ſtudium, qui in quacumque facultate omnibus Orientalibus palmam auferant, & cum Noſtratibus partiantur eloquentiæ, ac ſcientiæ lauros; ſed unum illud conficiebat animum, quod tot, tantiſque diſciplinis exculta gens ſuperſtitioſæ legis tenebras pro veræ fidei lumine ſectaretur,

Hinc obortus conſcientiæ ſtimulus, ut ad reparanda propriæ oſcitantiæ damna ſupplendoſque Apoſtolici defectus officii, Gazophylacium iſtud ſucceſſoribus Miſſionariis panderem; ut hoc inſtructi prodromo illico valeant in arenam cum Perſis, cæteriſque Mohammedicæ ſectæ pſeudo-Apoſtolis convolare.

Italicam linguam huic operi ducem prælegi, quippe quæ inter omnes Europæos, qui oras Turcicas incolunt, quaſi idioma communicationis inducta ſit, ſatis affinis Luſitanicæ, quæ paſſim in partibus Perſidis, & Indiarum viget.

Opere propemodum abſoluto in Civitate Baſſoræ, paucis ab hinc annis Haſſeno Arabi principi Turcarum armis ereptâ, ſuadebat novæ ditionis jugum formidabile, ut quidam é noſtris Conſtantinopolim deſtinaretur ad Portam, quo Excellentiſſimi ope Galliæ legati Marchionis de Nointel diplomata quædam ad hujus miſſionis, & Eccleſiæ manutenentiam obtineret; quocirca ſpeciali Noſtrorum Miſſiona-

riorum impulsu, Nostrique R. adm: P. Visitatoris Generalis jussu Bassorâ discedens die 13 Aprilis 1678. Euphratem conscendendo, ac Tigrim Babiloniam veni 8. Maii, hinc cum Janisserorum exercitu Ninive, inde Amidâ Mesopotamiæ transcundo, tùm viâ Aleppi Tripolim veni; & hinc rursus phaselum conscendens Cypro, Rhodo, aliisque Insulis Archipelagi obiter lustratis, Constantinopoli applicuimus die 4 Novembris 1678. ubi à præfato Excellentissimo perquam benignè excepius, dignos tantis auspiciis atque adeò majores optatis obtinui favores, tùm à Portâ, tùm ab ipso Legato.

Hic patentes ultrò concessit, quibus Bassorensis Missionis Superiorem in Gallicæ Nationis Consulem erigebat, concesso etiam ad hunc effectum Capitulationum Portæ cum Galliâ magnifico Authographo, azureis, purpureis, aureisque characteribus, atque parergis exornato, quo vel unico titulo patuit aditus obtinendi diplomatis Imperatoriæ Portæ; quod cum feliciter admodum emanasset, undique hortatorias accipiebam epistolas, ut Romam quantocius advolarem.

Constantinopoli navim Venetam nactus, profectus sum die 21 Martii 1679. sed heu! an faustam dicam, an infaustam navigationem? quâ post semestrem conflictum cum cœlo ac salo, Venetias attigimus die 27 Augusti. Sed mox quadragesimâ sanitatis expletâ, ut moris est, ad Urbem appuli die 18 Novembris.

Hîc gravioribus peractis negotiis, de editione Gazophylacii cœpi cogitare, cui præcipua Tribunalia votis applaudebant, verùm ardui operis circumstantiis quaquaversum perspectis, Lutetiam petere consultius visum est.

Hinc oblata occasio Tolosam solum patrium revisendi, ubi quasi in Lethœo fluvio memoriam priorum absorbens, mihi junctis momenta quædam indulsi, tùm vero Parisiorum itineri citius me accinxi, eòque veni 10. Augusti 1680.

Hîc dum apud Regis Administrum pro me agerent non vulgares amici, aliundè etiam condolebant nimis arduo conatui; etenim ob dissuetum jam, penèque abolitum Persicorum, seu Arabicorum Typorum usum, illicò de successu propemodum desperantes, *utinam*, *faxit*, *eia*, *macte*, *sed*... ajebant: ego uni mihimet ipsi hac in re non suspectus, reluctantibus undique difficultatibus, Divino, quo nescio impulsu roboratus, obsistebam.

Characteres interim Persicos majusculos hinc inde corrasi, quibus editionem moliri præsumebam; ac propterea R. adm: P. N. Præpositum Generalem non ita pridem Lutetiâ profectum compellaveram, ut cogitanti mihi de exordio operis Tolosam transferendo dignaretur annuere, ni tamen desistendum à proposito judicaret, ut munia Prælectoris linguarum Orientalium, ad quæ electus fueram, susceppturus, Romam repeterem.

Præpositus Noster inopinato consilio utramque propositionem elusit, patentes litteras ad me dirigens, quibus & me Visitatorem Generalem Missionum Nostrarum Hollandiæ constituebat, & interim quantocius Bruxellas advocabat.

Dein Obedientiæ semitis inhærendo in Belgium veni, ubi imposito fungenti munere, novos ordines præstolari mandabatur.

Quadruplices interim recipiebam epistolas Superiorum Provinciæ Nostræ Aquitaniæ, quibus instante vedelicet proximè sequentis Capituli Provincialis tempore, tùm moram meam amicè increpabant, tùm adjurabant me amicitiæ titulo, ut in gremium Provinciæ propriæ me quam primùm

recipe-

reciperem; sed de tot erga me meritis certior factus Præpositus oportere reposuit, ut amicis Provinciæ gratias agerem, atque apud ipsos me excusarem; admonebat enim, ne in perquirendo speratæ editionis apparatu tepescerem, immò binas ea de causa transmitti curavit ad me literas quarum tenore his me præficiebat Missionibus, atque Amstelodami Missionarium declarabat.

Deinceps editionis negotium vel eò ipsò segnius adoriens semestre elabi sinebam absque motu, prævidebam enim prœli sollicitudines cùm muniis Pastoralibus vix consistere. Verùm suscitatis in me obloquiis, ne technis dicam, Divinam his Providentiam Benoni meo, Gazophylaciodico, obstetricantem adorabam; quod æquiori quidam jure eo ipso expertus, quod jam tantummodó, dum corpus operis in lucem prodiit, nova declaratio Sacræ Congregationis de Propaganda fide fermè unà emanavit, cujus ui de mandato mihi numere instalatus, experior sex abhinc mensibus, quod sustinendis ab initio prœli festinantis pressuris, uniaque obeundis animarum ministeriis tantùm non impar succubuissem.

Characteres Arabicos quos è re nata auctionabantur Elzeviriorum hæredes exiguo pretio comparatos inter Divinæ Providentiæ beneficia etiam reputavi.

Ubi primum materiam prœlo suppeditare cœpi, sedecim fermè annorum adolescentem compositioni præstitutum manuducturus tyronem in typographia per multos menses agebam, nocte diuque, tùm compositioni, tùm correctioni intentus, ut non immeritò aut visus, aut vitæ jacturam formidarem

Excreverat massa operis fermè ultra literam G, cum ad idiomatis exercitium non solùm vocabula, verùm etiam phrasiologiam quamdam desiderari jam dudùm probè intelligens, nihilominus ne compositor inexercitatus deterreretur, animosque deinitteret, difficiliores hactenus compositiones occultabam, quas subinde paulatim exhibui, lemmata videlicet singularia, quæ ad exhilarandum lectoris animum è calamo ad prœlum dimisimus.

Sphalmata porrò, quæ ipse adverto, pauci admodum adnotabunt; Errata verò, quæ vocant, quomodolibet *irrepsisse, non mirum*, ut ait Sennertus in suo Arabismo; *Videri poterit illi qui operæ nostræ huic simili, vel semel admovit manum. Complura fortè (extra controversiam) deprehensa, tuus, Benevole Lector, restituet candor, atque industria.*

Appro-

Approbationes & Facultates.

Fr. Ioannes Baptista á Sancto Ioseph, Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Persidis & Indiarum Visitator Generalis.

CUm multæ mihi fuerint factæ instantiæ, tùm à Religiosis nostris Missionariis in Persida degentibus, tum ab extraneis personis ut procurarem impressionem libri, cui titulus est *Gazophylacium linguæ Persarum* a R. P Fr. Angelo à S. Joseph Congregationis nostræ Sacerdote professo, nec non in Persida Missionario Apostolico compositi: Auditâ prius ejusdem linguæ Persicæ Peritissimorum, ac Interpretum Sententiâ, qui illum impressione dignum judicaverunt, duobus Religiosis nostris ejusdem linguæ exercitatione præditis illius examen comisi, qui post maturam ac longam discussionem non solùm ut dignum quod typis mandetur, lucemque aspiciat, sed linguæ Persicæ studiosis & præcipuè Missionariis in Persida ad animarum salutem, infidelium que conversionem laborantibus perutile, & summoperè necessarium approbarunt, cum hucusque tam amplum, tamque perfectum opus non prodierit: Hocque ad informandum R. P. Nostrum Generalem, ut quantum in se est, det licentiam tale opus imprimendi, si ipsi videbitur. In quorum fidem præsentes dedi sigillo officii mei munitas, ac propria manu subscriptas. Bassoræ in Residentia nostra S. Mariæ de remediis die 7 Martii. 1678.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Joannes Baptista à Sancto Joseph Visitator Generalis.

CUm Gazophylacium linguæ Persarum *tum Vulgaris tum litteralis à R. P. Fr Angelo à S. Ioseph Carmelita Discalceato Missionario Apostolico compositum, nos infrascripti Persidis & Residentiæ nostræ Bassorensis Missionarii, commissione Admodum R. P. N. Visitatoris Generalis P. Fr. Ioannis Baptistæ à S. Ioseph Carmelitæ Discalceati, ad informandos Superiores Nostros Majores Romæ existentes, recognoverimus, ac in lucem secundum propria, nec non peritissimorum Persarum judicia edi posse judicaverimus, prædicto R. P. linguæ Persicæ peritissimo, ad Missionis nostræ Orientalis emolumentum, animarumque salutem opus hoc Italico Persicum, facultatem a Superioribus nostris humillimè concedi petimus, ut typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu propria subscriptas dedimus Bassoræ in Residentia nostra S. Mariæ de remediis die 1 Februarii 1678.*

F. Aurelius à S. Augustino Carm: Disc. Residentiæ Nostræ Bassorensis Vicarius.
F. Tussanus à Jesu Carm. Disc Miss. Apost.

VIso magna ex parte, & observato Gazophylacio Persico scripto per R. P. F. Angelum à S. Ioseph Carmelitam Discalceatum, Missionarium Apostolicum plurium annorum in Persida, reperi notabili diligentia concinnatum & optimè idiomati Italico correspondens cum diversis synonimis elegantioris, & litteralis linguæ, accuratèque usque ad finem deductum. Rogatus quid de hoc opere senserim, libens judico & affirmo esse dignum quod typis mandetur, quatenus tanto facilius linguæ Persicæ studiosis possit esse juvamento & gustui. Datum in Residentia nostra Aleppensi die 24 Iulii 1678.

F. Hieronymus à Jesu Maria Carm. Disc. Miss. Apost.

On

Charles François Olier, Marquis de Nointel, Conſeiller du Roy en tous ſes conſeils, en ſa Cour de Parlement de Paris, & ſon Ambaſſadeur à la Porte Ottomane.

LA Majeſté du Roy Nôtre Maiſtre nous tenant à la Porte Ottomane en qualité de ſon Ambaſſadeur, ou nous reſidons depuis huict ans, nous y donnons nôtre plus ſerieuſe & principale occupation à procurer la gloire, & l'avantage de la Religion Catholique, Apoſtolique, & Romaine, & particulierement à penetrer le fort, & le foible d'une puiſſance qu'il plait à Dieu d'eſlever ſi haut pour le châtiment des Chrêtiens; ſi par ce motif de la Vengence Divine nous devons enviſager avec reſpect la main terrible qui nous frappe, nous enchaine, & menace d'une ruine entiere, nous ne devons pas d'un autre coſté negliger tous les moyens humains, qui peuvent contribuer quelque jour à noſtre delivrance, & cependant porter du ſecours aux Chreſtiens afflig[e]z dans leur Reſidence au milieu de l'Infidelité, & comme il ny en a point qui paroiſſe plus efficace, que la connoiſſance des langues, qui donne le moyen d'entrer en pluſieurs lieux, de connoiſtre les eſprits, de combattre par la voix, & par les armes, & de ne point s'eſtonner des clameurs infernales des Infideles, de leur ſuperbe corporelle & labialle, & refleſchiſſant de plus que l'infuſion ſurnaturelle des langues nous manquant, par laquelle les Apoſtres ont eſtably le Chriſtianiſme, on y peut en quelque ſorte ſuppléer en facilitant l'inſtruction des langues capables d'empecher l'accroiſſement des deſordres de l'Infidelité, du Schiſme, & de l'Hereſie, contre la Catholicité, nous croyons que l'on ne peut trop loüer, & ſeconder le zele de ceux qui s'eſtant acquis une grande Capacité dans les langues Orientales, Grecque, Armenienne, Turque, Surienne, Arabe, Indienne, Soby, & Perſienne, en ont compoſé des Dictionaires juſtes, & amples contenants quelques-uns de leurs principaux proverbes, & expreſſions de faſte, & d'orgueil, lors principalement que ces Autheurs eſtants Catholiques animez d'un veritable zele, & non emportez par une vaine gloire tres indiſcrete ne courent pas riſque de tomber dans les êgaremens, & les preuves d'ignorance qui ſe voyent dans le livre Poliglot imprimé a Londres, dont le Perſien du nouveau Teſtament ſuivant les aſſeurances poſitives, qui nous ont été donnees, eſt plein de fautes groſſieres, & dignes de cenſure, & de riſée, ainſy qu'il eſt conſtant par la qualification d'ame ſainte ou pure au ſaint Eſprit, & par les expreſſions d'enfanter au lieu d'engendrer, y eſtant dit que Jacob accoucha d'Iſaac, & ainſy des autres.

Ces raiſons ſi puiſſantes nous obligent de requerir & ſupplier comme nous le faiſons tres inſtamment les Docteurs des plus celebres Univerſitez, de faciliter & authoriſer l'impreſſion d'un Ouvrage compoſé par le R. P Ange de S. Joſeph Carme Dechauſſé, duquel la connoiſſance parfaite de cette langue nous étant connuë par le' long ſejour qu'il a fait à Perſe, auſſi bien que par les certifications de ceux qui Conſtantinople poſſedent mieux le Perſien, nous avons creu en conſcience devoir rendre ce teſmoignage, que nous fortifions par l'aſſeurence d'avoir eſprouvé de ce Pere pendant cinq mois qu'il a demeuré auprez de nous, un trez grand zele & une connoiſſance fort eſtenduë & tres exacte des meurs, & couſtumes de la Perſe & païs voiſins. C'eſt ce que nous atteſtons par ces preſentes que nous avons ſigné de noſtre main, fait contreſigner par noſtre premier Secretaire & buller du ſceau de nos armes.

Donné en noſtre Palais aux Vignes de Pera les Conſtantinople, le 16 Fevrier, 1679. *Olier de Nointel.*

Locus ✠ Sigilli.

Par mon dit Seigneur
de la Croix Secretaire.

On

ON ne sçauroit exprimer la joye, que ressent celluy, qui depuis long temps s'occupe à la recherche d'un secret, lors qu'il rencontre quelque sçavant, qui luy fait voir ce qu'il y a de plus caché. Ie croi avoir gouté ce plaisir, puisqu'ayant resté plusieurs années en Perse appliqué à l'estude de la langue de ce pays, je n'en aurois jamais connu les richesses, si le Tres Reverend Pere Ange de S. Ioseph Prieur du convent des Carmes Dechaussés d'Ispahan, ne m'eut fait participant d'un Ouvrage, qui aussi ample que juste me fit voir en peu de temps tout ce qu'il y a de plus beau en cette langue, & en penetrer toutes les meilleures expressions. C'est par l'estude de cet Ouvrage, & par la conversation que j'ay eu avec ce R Pere que j'ay sçeu arriver au degré, qui me donne aujourd'huy le pouvoir, comme serviteur de S. M. en cette langue, d'en dire mon sentiment, qui n'est autre qu'une profonde admiration du sçavoir, & de l'erudition de cet Auteur. A Constantinople ce 1. Decembre 1678.

J. Fr. Paitis de la Croix, fils de l'Interprete du Roy.

CUm librorum copia qui ad Christianitatis perfectionem requiri videbantur universum fermè orbem inundarit, hactenus tamen quæ ad Orientalium regionum informationem & instructionem necessaria sunt, vix elementa reperiri penes me constat, immò quo ad Persicæ linguæ adeò universalis adeòque copiosæ notitiam, peritiamque pertinet, nec lexicon quidem utcumque sufficiens hactenus editum fuisse, Missionarii omnes per vastas illius Imperii plagas circumquaque diffusi jugiter conqueruntur Quocirca cum decem & octo annorum spatio in regionibus illis Infidelium commoratus nec non Missionarii officio pro pusillitatis modulo functus summam, ac indispensabilem linguæ Persicæ necessitatem agnoverim, nec cor, nec linguam, nec calamum cohibere valuit præ lætitia, præ admiratione, præ zelo, cum vidi opus absolutum ex omni parte, Lexicon dico Italicum & Persicum à R. P. Angelo à S. Ioseph Carmelita nostro Discalceato Tolosano compositum in quo admirabili parallelo non solùm Vulgaris idiomatis quod Mercatoribus, ac Viatoribus satis esse videtur, verùm etiam doctrinalis, curialis, ac litteralis quod Missionariis omninò debet esse familiare locupletissimus aperitur thesaurus. Scio quidem quod sciunt omnes præfatum R. P. Angelum infuso quasi linguarum diversarum dono potiri, ut potè qui sibi tot cordium, totque domorum januas quas Hæretica vesania, superstitio Persica, Arabica Philaphtia, Sabaica Arrogantia, nec non Indica præoccupatio Christianis intercludunt hac sibi unica clavi reseravit; verùm in linguæ Persicæ studio adeò singularis evasit, ut non solùm Persas naturales præcellat, verùm etiam seipsum superarit; Quamobrem instanter rogo, enixèque deprecor quascumque personas ad quas spectaverit, præcipuè vero R. P. nostrum Præpositum Generalem ut hujus Operis editionem non solùm ultrò permittat, verùm etiam pro viribus promoveat, ut potè quæ ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ decus, ad fidei propagationem, nec non ad animarum salutem haud dubiè cedat. In quorum fidem hanc qualemcumque approbationem communis juris faciens, hanc etiam proprio nomine subscripsi. Venetiis in nostro conventu S. Mariæ Nazareth die 10 Octobris 1679.

F. Blasius à SS. Sacramento Carm. Disc. olim in Perside Missionarius Apostolicus.

Fr. Emanuel à Iesu Maria, Præpositus Generalis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejusdem Sancti Montis Prior.

CUm opuscujus titulus *Gazophylacium Linguæ Persarum* à R. P. F. Angelo à S. Joseph ejusdem nostræ Congregationis Sacerdote professo, ac Missionario Apostolico in Perside, & aliis nostris Missionibus Orientalibus compositum, & elaboratum, plures è nostris Patribus Missionariis in lingua Persica periti recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, tenore præsentium (quantum ad nos attinet) facultatem impertimur, ut typis mandari possit. In quorum fidem præsentes dedimus sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ de Scala die prima Decembris. Anno 1679.

Fr. Emanuel à Iesu Maria Præpositus Generalis.

Fr. Faustus à S. Basilio Secretarius.

Locus ✠ Sigilli.

***

Universis

Universis & singulis Conventuum Ordinis nostri pro tempore Superioribus salutem.
Fr. Antonius de Monroy, Sacræ Theologiæ Professor, & Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Magister Generalis, & servus.

CUm R. P. F. Angelus à S. Joseph Tolosanus Sacræ Religionis Carm. Disc. Missionarius Apostolicus ejusdem ordinis, ex Missionibus Persidis, Turciæ, & Arabiæ redierit, ubi per quindecim circiter annos commoratus in exercitio muneris Apostolici, non minus fructuosè quam strenuè se gessit, nec non laudabilem sese, ac benè meritum commendavit, cumque jam Româ quò pariter de ordine SS. D. N. Papæ Innocentii XI. ac sui Reverendissimi P. Generalis vocatus venerit, suamque in Provinciam Aquitaniæ, & inde Parisios se conferre opporteat ut opera quædam tùm Persica, tùm Arabica præcipuè verò *Gazophylacium linguæ Persarum* typis mandare procuret. Hunc R. P. tot meritis ornatum, in linguis Orientalibus probè peritum vobis omnibus, & singulis ad omnia officia charitatis, & obsequii commendamus, injungimusque vobis, ut si ad vos declinaverit uti virum in Ecclesia benè meritum recipiatis, nec non & in editione, & impressione præfatorum librorum pro Christianæ charitatis ac fidei propagationis zelo, opem & operam vestram quantùm in vobis erit opitulari dignemini, vix enim alio nobis placituri. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 25 Februarii, 1680.

Fr. Antonius de Monroy Magister Ordinis.

Registrata folio 350.

Fr. Antonius Cloche, Magister & Socius.

Locus ✠ Sigilli

Ioannes Paulus Oliva Præpositus Generalis Societatis Iesu.
Carissimis in Christo fratribus Collegiorum nostrorum Rectoribus, seu domorum Superioribus salutem in Domino sempiternam.

CUm R. P. F. Angelus à S. Joseph venerabilis ordinis Carmelitarum Discalceatorum, qui per annos quindecim fuit Missionarius Apostolicus apud Persas, Arabes, & Turcas modò tendat Parisios impressurus opera ad dictas linguas spectantia, nostrarum partium duximus eum nostris omnibus qua transierit commendare, ut quæcumque urbanitatis, & caritatis officia illi exhibeant, concilioque, & operâ juxta nostrum institutum juvent, & mutui amoris, & observantiæ significatione complectantur, atque in casu infirmitatis (quod Deus avertat) hospitio excipiant, ac officiosè tractent. Hujusmodi enim humanitatis significationem nobis fore gratissimam testamur. Datum Romæ 2 Martii 1680.

Ioannes Paulus Oliva.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Carolus Felix à S. Theresia Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Præpositus Generalis, Prior S. Montis Carmeli.

CUm Pater F. Angelus à S. Ioseph Provinciæ nostræ Aquitaniæ Conventualis, nec non in seminario nostro Sancti Pancratii Romæ linguarum Orientalium prælector, missus fuerit Româ Parisios à R. P nostro Emanuele à Iesu Maria Congregationis nostræ Præposito Generali, immediato Prædecessore nostro ut opera quædam jam approbata typis mandari procuret, præcipuè verò Gazophylacium linguæ Persarum. *ideò nos eodem zelo moti, litteras patentes à præfato prædecessore nostro prædicto P. datas confirmamus, ut nempè editionem prædictam promoveat, ipsique seu illo invigilet, nec non ei facultatem impertimur ut possit habere Socium suæ Provinciæ Aquitaniæ qui ipsum comitetur, & adjuvet in ordine ad prædictam editionem, insuper ipsi dispensationem concedimus ab exercitiis ordinariis Chori eo modo quo concedi solet Lectoribus Philosophiæ, & Theologiæ, hortamurque omnes Religiosos nostros tùm Superiores, tùm subditos ordinis nostri Conventus Parisiensis, cæteraque personas ad quarum conspectum hæ litteræ pervenerint, ut præfato P. pie opitulari dignentur, ipsumque pro charitatis fraternæ modo adjuvent. Datum Parisiis in Conventu nostro S. Ioseph die* 11 *Iunii* 1681.

Fr. Carolus Felix à S. Theresia Præpositus Generalis.

Fr. Guillelmus à S. Francisco Secretarius.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Caro-

Fr. Carolus Felix à S. Thereſia Præpoſitus Generalis Fratrum Carm. Diſc. Congregationis S. Eliæ Ordinis B. V. M. de Monte Carmelo, ac ejuſdem S. Montis Prior.

R. P. F. Angelo á S. Ioſeph Provinciæ noſtræ Aquitaniæ Religioſo profeſſo pro nunc Miſſionum noſtrarum Hollandiæ Viſitatori Generali in Domino ſalutem ſempiternam.

CUm fides ſine quâ ſalvus eſſe nemo poteſt ex auditu ſit, auditus per verbum Dei, cumque propterea Summi Pontifices præcipuè Clemens VIII. & Paulus V. ſub indignationis pœna Regularium ordinum Superioribus præceperint, nec non conſcientias oneraverint ut Linguarum ſtudia ſedulò promoveant, quæ ad Hæreticorum ſivè ad Infidelium converſionem procurandam utiliores eſſe cenſentur, Tibi de cujus probitate ac peritiâ in linguis Orientalibus multùm in Domino confidimus, cùm jam ſaltem per annos quindecim in Miſſionum noſtrarum Perſidis, Turciæ, & Arabiæ miniſterio allaboraveris, injungimus ut omni curâ ac ſollicitudine procures impreſſionem, ſeu editionem *Gazophylacii linguæ Perſarum*, jam per te compoſiti, ac limati, nec non à plurimis perſonis eruditiſſimis approbati; precamurque omnes ad quorum manus litteræ præſentes pervenerint ut paribus pietatis, benevolentiæ, ac liberalitatis argumentis te proſequantur, ut opus non minus utile quam arduum ad exitum perducere valeas, mercedem à Domino recepturi. In quorum fidem præſentes dedimus ſigillo noſtro munitas, ac propriâ manu ſubſcriptas. Lovanii die 18 Auguſti 1681.

Fr. Carolus Felix à S. Thereſia Præpoſitus Generalis.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Guillelmus à S. Franciſco Secretarius.

Approbation de M. le Chevalier Chardin nommé par S. M. B. pour Agent des affaires de la Compagnie des J. O. d'Angleterre vers M^rs. les Etats Generaux des Provinces Unies.

J'Ay leu diverſes feüilles de ce livre intitulé Gazophylacium linguæ Perſarum, authore R. P Angelo à S. Joſeph Carmelita Diſcalceato Toloſano Miſſionario Apoſtolico *durant le cours de l'impreſſion, & j'en ay trouvé l'erudition vaſte curieuſe. j'ay eu l'honeur de connoiſtre particulierement l'autheur en divers androits de l'Aſie, & je ſçay qu'il en parle avec beaucoup d'elegance les langues les plus belles, & les plus repanduës. Il ſeroit à ſouhaiter que ce ſçavant homme nous vouleut inſtruire des meurs du Pays, & de l'induſtrie des Perſans, auſſi bien que de leur langue; n'eſtant pas poſſible que ſçachant ſi bien les mots il ne ſçache auſſi les choſes. A la Haye le 18/28 Iuillet 1683.*

Chardin.

Al molto Rev: Padre Angelo di S. Giuſeppe Carmelitano ſcalzo Toloſano, Miſſionario Apoſtolico nelle Parti di Perſia, Arabia, Turchia, &c.

Autore del Dittionario univerſale delle lingue Italiana & Perſica.

ANgel di luce onor del grand Carmelo,
Dal Ciel diſceſo ad illuſtrar la fede
Calaſti a por ſu' queſto ſuolo il piede,
Per far di queſto ſuolo a tutti un Cielo.
Ad isgembrar da freddi cori il Gelo.
L'ardor de Seraſini in te ſi vede,
E à l'Angelica tua Voce ſe'n riede
A Regni bui l'Idolatria di Belo.
T'aſcolta il Perſo, l'Arabo, ed il Trace;
Angelo Meſſaggiero, Angel di Dio,
E tua lingua a ciaſcun ſembra una face.
Face, che purga un cor macchiato, e rio,
Face a fugar l'orror d'ombra fallace,
Face, che ogni empio error caccia in oblio.

ANgele, proſtremas orbis qui miſſus ad oras
Poſtremò ad nos nunc orbe remiſſus ades,
Te reducem noſtro quantum proh! gratulor orbi,
Gratulor & fidei quæ tibi ſacra comes.

Cum Perſas, Turcaſque tuis ſuccumbere verbis
Vidimus, atque Arabes, quid mihi lætitiæ?
Cum te doctiloquo audivi ſermone loquentem
Angelus hic, dixi, vel quaſi Paulus erit.

Iohannes Baptiſta Mantuanus Bononienſis, tantæ Doctrinæ auditor, & operum teſtis in obſequij pignus offerebat Bononiæ 29. Oct. 1679.

Muſarum Cultoribus

In librum Gazophylacii D. Angeli de Labroße.

COdex, quem videtis fores pandit per quas ad Affricæ, & Aſiæ opes, & eorumdem eruditos theſauros itur. Titulus illi eſt, Gazophylacii, nomine τῆς φυλακῆς Græcanico, reconditorii, & Perſici قنر & قنرجي Gazæ, ſeu theſaurorum quales voces Perſicum idioma, ut ſunt; سنگ فارس lapis Perſicus, & فردوس paradiſus, plurima habet, quæ ad alias gentes variè transferri conſueverunt. Placent Arabes, placent Perſæ. Arabes quibus, cornu copia linguæ eſt quâ major non eſt neque Græcis, neque Latinis, Homeris ejuſdem gentis & Maronibus tantus lepus eſt vel teſte Leone Affricano, ut dici non poſſit. Provoco ad Mutenabbi poetam Arabem qui noſtris manibus jucundè teritur, & quo majorem non invenies alium. Rei Geographicæ unum Ptolomœum habent Græci, neminem Romani, plurimos Arabes. Climatum diſtinctio apud Græcos habetur aquilonem verſus, & auſtrum, apud Arabes etiam verſus ortum, & occaſum, unde loca plurima reliquis gentibus neglecta cognoſcuntur. Illa verò quæ Philoſophiæ antiquorum noſtro ſæculo detrahi ſolent per Arabum ſcripta facilè priſtino ſplendori reſtituuntur. Rei Medicæ præſunt Avicenna, Meſuæ, Raaſis, qui ſordent in alias linguas tranſlati, propriâ linguâ commendantur meritò, etiam Theologos Orientis non intellexerimus niſi terantur commentatores in Alcoranum, ſine quibus ſenſus genuinus haberi non poteſt. Sed quid hæc ad Perſas! Quia Perſarum lingua facilis eſt illis qui Arabicam norunt, neque quemquam pœnitebit eam didiſciſſe, propter codicum Perſarum ingentem numerum anticorum pariter, & neotericorum, neque dici poſſet in quo genere rerum deſficiant. Sic interpretandis ſacris Muhammedis præter Abubekeri, etiam Ali dogmatibus opus eſt; nam ſequuntur Perſæ Myſtam ſuum Ali, cujus dogmata haberi nequeunt niſi per Perſas. Reliquis gentibus Orientalibus ſacris interpretandis præſunt Abibekeri, Omeſus & Oſmanus. Quæ juvat noſſe, ne affigantur gentibus quæ earumdem non ſunt, ſicque ſacris Muhammedicis refutandis nihil producatur, quod eodem non pertinet. Quibus hæc cordi non ſunt, fuerint cordi Chronologicæ res, Hiſtoricæ etiam. Sic نوروز Neuruz Perſarum celeberrimus eſt de quo Scaliger opere de emendatione temporum libro 1. c. de Neurouz, periodico rerum Perſicarum ſic infit;

Illis eſt initium veris, quod ad verbum novus dies, quaſi diceres νεημερίαν nam ut Ægyptii ortum Caniculæ propter quem Nili incrementa fiebant obſervarunt: ita etiam Perſæ hunc uſque diem principium veri non ſolum civilium epocham & titulum ſtatuunt, ſed etiam epulis & pompâ proſequuntur, præterea annis Iſdigerd يزدجرد Regis Perſarum apud Chronologos multiplex mentio, quorum uſus eſt penes eoſdem; omitto enim recenſere ſingula. Quoad Hiſtorias. Schiccardus rerum Perſicarum eruditiſſimus hiſtorias nectit ejuſdem gentis per quas patuit Europæis quænam lux affulxit, earumdem rerum quæ atra involvuntur nocte apud nos, ut inde conjicere liceat vel in re ſacra fructus apud Perſas deliteſcere iis cognoſcendis rebus quæ ſerie Perſarum Regum à Cyro ad ذيل القرنين Deil-carnin, Alexandrum apud Græcos recitari ſolent. Aperta res eſt typographici regni Perſarum, non rectius, quam per Perſas ſciri poſſe, etiam locorum magni Chami Tartarorum, & gentis Gog & Magog, magni quoque Magolis, denique Indiarum. Omnia moliuntur Perſæ, ſcriptis, etiam decore, & authoritate Carminum pari Arabum carminibus quibus abundat, ut cum Arabibus de gloria, contendatur, ac Orienti illuſtrandæ utraque gens Arabum & Perſarum abundè ſufficere videantur. Unde Muſis Græcanicis, & Latinis junctis Muſis Orientalibus plenior eruditio haberi poteſt. Quare in votis eſt noſtris ut ope Gazophylacii D. Angeli de Labroſſe, clariſſimi D. Golii, & Domini Caſtelii, aliiſque non inferiori

imm

immò rerum Arabicarum, ac Persicarum Coryphœi, cui licuit per aliquot annorum lustra in Perside hærere, Musarum decus reddatur illustrius incremento gloriæ Divinæ, quam omnes promovere tenemur.

Sic vovet ex imis pectoribus

ALEXANDER de BIE.

Philosophiæ & Matheseos Professor.

Dabam Amstelodami
4. Nonas Decembris
anno Incarnationis
MDCLXXXIII.

لوجه

المهيب المخضم ابي انجل
العلامة باللسن وبالعلوم مشرق زاهن
لعالم معلم الخزانة والنحو الفرس
مفعولتين بحكمه كثيرة *
كل جين جاه * والجين بحبين
فاره ومهيب استاه باستاه بين
اب انجل الخضم جاه لكثيرين
وجاه لي من الكنوز مكنوزين

لعه بمشرق * والان كل معلمين
خزاينا بوجن فارس مفعومين
اعطي * ومفاتحها خزاينه فاتحين
الواعيا يجون له وهو لعالمين *
لمعلمه واعيا معظم
هذا لشكاير
صنع

Ex Authoritate Ampliss. & Illustrium D D: Curatorum Vniversitatis Lugduno-Batavæ linguas Orientales docens

CAROLUS SCHAAF.

S. S. T. C.

Lugdæ
Kal: Nov:
1683.

****

Ne

Ne pagina vacet hic ſpecimen ſubdimus verſuum, quos Perſæ in ſuis paſſim libris, ſeu etiam parietibus exarant.

هر كه خواند دعا طمع دارم
زنكه من بنده گناه گارام *

Id eſt; Precum tuarum, O Lector, avarus ſum,
Quia ego ſervus tuus peccator ſum.

يا ناظرا فيه سل بالله مرحمة
علي المصنف واستغفر لكاتبه
و اطلب لنفسك من خير تريد به
من بعد ذلك غفر انا لصاحبه *

Id eſt; Tu qui librum hunc inſpicis, miſericordiam ora
Autori, & criminum remiſſionem exſcriptori.
Ora tibi ipſi quoque bona quæ deſideras:
Poſtremo libri poſſeſſori Divinam gratiam.

هر كه آمد عمارتي نوساخت
رفت ومنزل بدیگري پرداخت
وان ديگر بخت همچنين هوسي
واين عمارت بسر نبرد كسي *

Id eſt; Quicumque venit novam fabricam ſtruxit;
Abiit ille, fabricamque alteri conſtruxit:
Alter ille, ſimilia huic vanitatis molimina agitavit:
Illam verò fabricam ad finem perduxit nemo.

جهان اي برادر نماند بكس
دل اندر جهان فريبن بند وبس
مكن تكيه بر ملك دنيا وپشت
كه بسيار كس چون تو پرورد وكشت
چنان هنگ كن رفتن جان پاك
چه برتخت مردن چه بر روي خاك

Id eſt; Mundus o frater reſtat nemini;
Animum in mundi Conditore figas, ſat eſt.
Ne innitaris opibus hujus mundi, iiſque in cumbas:

Multos enim tibi pares aluit, atque peremit.
Cum anima ſtudeat tranſire illibata,
Quid intereſt moriaris in ſolio, an in ſolo?

تا بدكان وخانه مشغولي
هركزاي خام اندمي نشوي
بروان در جهان تفرج كن
پيش ازان روز كز جهان بروي *

Id eſt; Quamdiù in officina, penatibusque hæſeris;
Nunquam, o Inſipiens, vir evaſeris.
Mundum obeas atque perluſtres
Priuſquam ex hoc mundo migrandum erit.

وچون مردم دانا مثال زر طلاست
كه هر كجا كه رود قدر وقيمتش دانند
بمردي زان نادان بشهر وا مانند
كه در ديار غريبش بهيچ نستانند *

Id eſt; Corpus viri ſapientis perindè ut aurum obryſum eſt;
Quocumque iuerit momentum, pretiumque ejus norunt.
Rudis verò divitis filius ſimilis eſt coriaceæ Regis monetæ,
Quæ in aliena provincia nihil valet.

چو هر ساعت از لطف بهايي روح دل
بتنهاي اندر صفاي نبيني
كرت مال وجاهست وزرع وتجارت
چو دل باخدايست خلوت نشيني *

Id. eſt. Cum quovis momento animus tuus hinc indè oberret;
Solus etſi conſedens; otium tamen nullum habes,
Sive opes, dignitatem, agros, merceſque habueris,
Animus ſi in Deo fixus fuerit; otium habes.

PR

PRIVILEGE
DU
ROY.

LOuis par la grace de Dieu Roy de France, & de Navarre : A nos amez, & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requêtes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Prevosts, leurs Lieutenants, & tous autres Justiciers, & Officiers qu'il appartiendra ; SALUT. Estant bien informez de la connoissance que s'est acquis nôtre amé & feal le R. P. ANGE DE S. JOSEPH Religieux Carme Dechaussé Tholosain, Missionaire Apostolique dans les sciences & dans les langues Orientales par l'étude à laquelle il s'est appliqué durant les voyages & le sejour qu'il a fait en Perse, & autres lieux du Levant, par l'espace d'environ quinze ans, & sur ce qu'il nous a remonstré que la connoissance de la langue de Perse est tres necessaire à tous ceux qui desirent voyager dans l'Orient, sur tout à ceux qui desirent exercer les Missions Catholiques. A CES CAUSES voulant donner au dit Reverend Pere ANGE DE S. JOSEPH des marques de son zele, & affin qu'un dessein si utile au public soit executé ; Nous luy avons permis, & accordé par ces presentes luy permettons, & accordons de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra, en un, ou plusieurs volumes, en grand ou petit, & autant de fois que bon luy semblera un livre intitulé *Gazophylacium linguæ Persarum*, & de faire vendre & debiter le dit livre par tout Nostre Royaume, terres, & pays de Nostre obeissance pendant le temps de dix années à compter du jour que le dit livre sera achevé d'imprimer pour la premiere fois, durant lequel temps faisons tres expresses inhibitions, & deffances à toutes personnes de quelque qualité, & condition quelles soint d'imprimer, ou faire imprimer, & contrefaire le dit livre, de le vendre, & debiter, ou en faire venir des pays etrangers, soûs quelque pretexte que ce soit, même d'impression etrangere à peine de trois mil livres d'amande, confiscation des exemplaires contrefaits, & de tous depens dommages, & interests à la charge qu'il sera mis deux exemplaires du susdit livre dans Nôtre Bibliotheque publique, un en celle de nostre Chateau du Louvre, & un en celle de nostre cher & feal Chevalier Chancellier de France le Sieur le Tellier avant que l'exposer en vente à peine de nullité des presentes, du contenu desquelles nous vous mandons & commandons que vous fassiez, & laissiez joüir l'exposant, ou ceux qui auront droit de luy, sans souffrir qu'il leur soit donné aucun trouble, ny empeschement au contraire ; Voulons aussi qu'en mettant au commencement, ou à la fin autant des Presentes, ou un extrait d'icelles, elles soint tenuës pour duëment signifiées, & que foy y soit adjoutée & aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme a l'Original. Mandons au premier nôtre Huissier, ou Sergent sur ce requis de faire pour l'execution des presantes tous exploits requis & necessaires sans demander autre permission. CAR tel est nostre plaisir, nonobstant clameur de Haro Chartre Normande, & autres lettres à ce contraires, & en cas de convention à ces dernieres presentes nous nous en reservons la connoissance & à nostre conseil.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

seil. Donné à Chaville le quatorziéme jour de Novembre, l'an de Grace mil six cens quatre vingts. Et de nostre Regne le trente huitiéme.

Par le Roy. JEANNIN.

Registré sur le livre de la communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 22 Novembre 1680, suivant l'arrest du Parlement du 8 Avril 1653, & celluy du Conseil Privé du Roy, le 27 Fevrier 1665. Signé ANGOT Syndic.

Les exemplaires ont esté fournis.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 18 Janvier 1684.

CLA-

Clavis Gazophylacii linguæ Persarum

Quidquid ad plenam hujusce linguæ intelligentiam pertinet facilè reserans.

Caput Primum.

De Consonantibus.

PErsæ easdem cum Arabibus literas habent : sed præter Arabicas habent پ pe; & چ cim, ita ut چ cim Italicè pronuncietur; & ژ je, Gallicæ pronunciationis; & گ gaf : in his tria puncta diacritica sunt, alias enim conveniunt cum ک ز ج ب.

Hinc Persis duæ, & triginta consonantes numerantur videlicet;

ا Alif, vel elif : prima Persarum litera, unitatis nota, potestate spiritus lenis. Est character diei solis in Ephemeridibus : item signi Zodiaci cœlestis, Tauri, cum cifra o, quæ Persicè sic pingitur; arietem denotet.

ب Be secunda litera, numeri binarii nota; & character diei lunæ, item geminorum.

پ Pe tertia litera; sed in libris M. S. puncta illius diacritica interdum omittuntur, ut in پدر Pater, loco بدر quia quibus lingua hæc vernacula, norunt ipso usu, quomodo quæque vox sonet : idem nota circa ج چ in quibus tria puncta negliguntur identidem ut in خ quid. مزد merces. کی si.

ت Te : quarta Persarum litera.

ث The blæsum, seu infantile : quinta Persarum litera, sed quæ rarissimè occurrit : in numeris valet 500.

ج Gim : sexta litera : in numeris valet. 3. Est character diei Martis, & Cancri in Zodiaco.

چ Cim Italico modo pronunciata : septima litera.

ح Hha; valida aspiratio, sed sine stertore in gutture: octava Persarum litera : in numeris valet 8. Item est character Sagittarii.

خ C-ha : quæ est valida aspiratio cum stertore in gutture, cujus pronuntiatio Holandis naturalis uti in hac voce achte octo : est nona Persarum litera : quæ in numeris valet 600.

د Dal : decima Alphabœti Persici litera : quæ in numeris valet. 4. Quartive diei, sextive planetæ, sc. Mercurii in Ephemeridibus character, in Zodiaco, autem leonis signum, & inter præcipuas lunæ passiones eam cum latitudine esse notat.

ذ Dzal : undecima litera, quæ in numeris valet 700: quæcumque autem dictio per hanc literam incipiat, omnino Arabicum fore scito; in medio autem dictionis pure Persicæ vix etiam occurrit nisi in خشتن quæ etiam per ژ scribitur خرشتن.

ر Re : duodecima Persarum litera : in numeris valet 200; estque in Ephemeridibus character lunæ.

ز Ze : decima tertia litera : in numeris valet 7 : In Ephemeridibus est character diei Sabbathi, & scorpii in Zodiaco.

ژ Je : juxta pronunciationem Gallicam : decima quarta Persarum litera.

س Sin : decima quinta Persarum litera : in numeris 60 valet : in Ephemeridibus character est planetæ solis; aspectus autem seu configurationis sextilis.

ش Chin : juxta ortographiam Gallicam : decima sexta Persarum litera : in numeris valet 300.

ص Sad : decima septima Alphabœti Persici litera : in numeris valet 90.

ض Dzad : decima octava litera : valet 800.

ط Tta : decima nona Alphabœti litera : in numeris valens 9. Inter characteres Zodiaci Capricornum, & inter lunæ passiones eam descendentem denotat.

ظ Tza : vigesima Persarum litera; licet nulla dictio purè Persica ab hac sumat initium, quod norim : in numeris valet 900.

ع Ain : vigesima prima litera : in numeris valet 70. In Ephemeride notat conjunctionem luminarium : difficilis ejus pronunciatio nostratibus.

غ Ghain : vigesima secunda litera Alphabœti Persici; cujus difficilior enunciatio Nostratibus, qui ad hanc efferendam grunniendum autumant; quamquam hæc, & præcedens nullo narium adminiculo indigeant : in numeris valet 1000. In Ephemeride inter characteres aspectuum est nota quadrati.

ف Fe : vigesima tertia Alphabœti ejusdem litera : valet 80. Et est character lunæ exaltatæ.

ق Qof : vigesima quarta litera : in numeris valet 100. Pronuntiatur crocitando, unde voco hanc literam qof corvinum.

ک Kaf : cujus pronunciatio gallinacea est : est vigesima quinta litera : in numeris valet 20.

گ Ghaf Persicum, seu Turcicum : vigesima sexta litera.

ل Lam : vigesima septima litera : in numeris valet 30. In Ephemeridibus est character noctis, & Saturni planetæ, & oppositi aspectus.

م Mim : vigesima nona litera : in numeris valet 40. Et in Ephemeridibus est character diei.

ن Nun : vigesima nona litera : in numeris valet 50 : estque in Ephemeridibus character aspectus conjunctionis.

و Vau : trigesima litera : in numeris valens 6. Et character est diei veneris, & libræ in Zodiaco : Arabes hanc pronunciant per U fœmininum, Persæ per V masculinum; unde illi dicent Ue, hi vero Ve.

ه He : leviissima aspiratio; trigesima prima Persarum litera; valens in numeris 5 : in Ephemeridibus character diei jovis, signique Zodiaci virginis, & Veneris planetæ, ut & lunæ lucidæ.

ی Ye : Trigesima secunda Persarum litera : in numeris valet 10. Et in Ephemeridibus est character jovis planetæ, & aquarii signi Zodiaci.

Harum porrò literarum figura in initio dictionis, medio, fine; tùm nomen, potestas & ordo unico prospectu sequenti tabellâ indicantur.

Ordo.	Poteſtas.	Nomen.	Figura. In fine.	In medio.	In principio vocis.
1	Spiritus lenis.	Elif.	ا ـا	ا ـا	ا
2	B.	Be.	ب ـب	ـبـ	بـ
3	P.	pe.	پ ـپ	ـپـ	پـ
4	T.	Te.	ت ـت	ـتـ	تـ
5	The blaſum.	The.	ث ـث	ـثـ	ثـ
6	G.	Gim.	ج ـج	ـجـ	جـ
7	C Italicum.	Cim: Italicè.	چ ـچ	ـچـ	چـ
8	Hh.	Hha.	ح ـح	ـحـ	حـ
9	Ch. ϰ.	C-ha.	خ ـخ	ـخـ	خـ
10	D.	Dal.	د ـد	ـد	د
11	Z.	Zal.	ذ ـذ	ـذ	ذ
12	R.	Re.	ر ـر	ـر	ر
13	Z.	Ze.	ز ـز	ـز	ز
14	J.	Je: Gallicè.	ژ ـژ	ـژ	ژ
15	S.	Sin.	س ـس	ـسـ	سـ
16	Sch.	Chin: Gallicè.	ش ـش	ـشـ	شـ
17	Sſ.	Sfad.	ص ـص	ـصـ	صـ
18	Dſ.	Dfad.	ض ـض	ـضـ	ضـ
19	Tt.	Ta.	ط ـط	ـطـ	طـ
20.	Tz.	Dza.	ظ ـظ	ـظـ	ظـ
21	A. ע.	Aïn: Hebraicè.	ع ـع	ـعـ	عـ
22	Ggh.	Ghain: Hebraicè.	غ ـغ	ـغـ	غـ
23.	F.	Fe.	ف ـف	ـفـ	فـ
24	Q.	Qof: corvinum.	ق ـق	ـقـ	قـ
25	K.	Kaf Gallinaceum	ک ـک	ـکـ	کـ
26	Gh.	Ghaf.	گ ـگ	ـگـ	گـ
27	L.	Lam.	ل ـل	ـلـ	لـ
28	M.	Mim.	م ـم	ـمـ	مـ
29	N.	Nun.	ن ـن	ـنـ	نـ
30	V.	Vau.	و ـو	ـو	و
31	H.	He.	ه ـه	ـهـ	هـ
32	Y.	Ye.	ی ـی	ـیـ	یـ

Perſæ

Persæ in literarum combinatione sequuntur Arabes, in nexibus etiam, & ductibus characterum, qui pro diversa connexionis, & situs ratione varii, & multiformes sunt; alii in principio, alii in medio, alii in fine dictionis: e.g. ا ب ج, quæ ita combinantur ابجـ.

Combinari nequeunt à parte sinistra ا د ذ ر ز ژ و post-positæ verò aliis, ad significandum sui combinationem ansulam, & quasi uncinum à parte dextrâ gerunt in hunc modum ـا ـد ـذ ـر ـز ـژ ـو : aliæ literæ dum in medio vocis utrimque combinantur, ansulas seu uncinos utrimque habent ut ـبـ ـسـ ـشـ ـعـ ـغـ ـكـ & c: combinabiles verò in fine ad significandam sui combinationem caudam incurvatam, aliquæ sursum flexam gerunt ut ب ص ش س ي, & aliquæ deorsum caudam reflectunt ج چ ح خ ع غ ف ق, excipe ط, & ظ quæ nec habent caudam: ه autem in fine est sine cauda sic; ـه, vel cum puncta cum præcedentibus sic; ـهـ; quæ litera si puncta habeatur غ ـهـ sonat.

Pronunciationis literarum valor quamquam in tabella exhibeatur adhuc quadam elucidatione indiget quoad literas tres aspirativas ه ح خ, & quoad binas ع. Et binas گ غ, & quaternas س ش ص چ, & binas ت ط, & quaternas ز ژ ض ظ, & binas ج ژ, & binas ک ق; quarum pronunciationis differentia Europæis est difficilis sine vivâ docentis voce; attamen hac arte multum juvaminis consequentur, si palatum quasi arcum cogitent, & in tria ferme puncta dividant: quæ loca pronunciationis, seu percussionis vocis erunt. 1. Punctum A juxta dentes. 2. punctum B in medio palati. 3. punctum C in fundo palati seu in gutture: sic pronunciando has difficiliores literas, reflectant ad locum pronuntiationis & ritè efferentur: habes autem praxim expressam in subjecta figura;



Sic ergo quasi trichordon tangeres: dum v. g. dicis A pro ا, cogita velis dicere A juxta dentes, & ad exitum palati cum autem dicis â pro ع, insiste in medio: dum vis pronunciare ک quasi gallina, percutiat lingua circa medium palati, dum ق quasi corvus percutiat extremum palati juxta guttur: dum aspiras ه insistat aspiratio juxta dentes, dum ح validè percutiat medium palati; dum خ finem: tùm rectè pronunciasti, & sic de cæteris.

Ex quaternis autem symbolizantibus چ & ژ paulò cis medium palati pronunciandas notavimus.

Verùm cum asperiores literæ in ore Persarum dulcescant; scito quod si has quatuor ظ ذ ض ز simpliciter quasi z pronunciaveris, non perperam locuturum; sicut & ت & ط ut T. & س & ص ut S.

In MSS legendis his notis attende; 1. Ut ـهـ ـعـ ـغـ ـكـ studiosissimi sunt Persæ, magis pendulo, & involuto charactere quam Arabes utuntur, qui propterea خط تعليق vocatur, unde scriptura multo difficilior exurgit: 2. د *Dal* & ر *Re* sæpe videntur confundi paulò tamen attentius inspicienti ita distinguntur; ر *Re* semper infra lineæ basim demittitur, د *Dal* verò ei insistit, & ut non nihil altior est, ita aliquantò incurvior. 3. In connexione cum literis præcedentibus د *Dal* perpetuò attollitur ر *Re* deprimitur. 4. Eadem est lex discernendi inter ز, & ژ, quæ eandem cum prioribus figuram obtinent & solummodo punctis variantur. 5. و *Vau* etiam à د *Dal* distinguitur vel quod و caput crassum habet, & caudam exilem, د caput tenvius, caudam obtusiorem: vel quod و semper infra basim lineæ protenditur, د supra. 6 دِ ذِ in principio dictionis, item in medio post literas illigabiles (h. e. post ا د ذ ر ز ژ و) diversimodè formantur: aliquando tum tenui ductu flexuque calami exarantur, ut vel pũctulum videantur aciem oculorum pœnè effugiens ideoque major diligentia in eorum vestigiis observandis adhibenda est. 7. Aliquando unâ lineâ exporrectâ, & sinistrorsum declinante protrahuntur, quod etiam accidit ن *Nun* haud rarò in fine dictionis. 8. In medio verò dictionis cum utrimque colligantur oportet singulos flexus attentè advertere, & puncta quæ non raro sedibus removentur, suis locis substituere. 9. In پ & چ sæpe duo puncta omittuntur, præcipuè si ي immediate sequatur, & tunc quinque puncta in tria coalescunt, ut پير *pir* senex pro پيـر, & چيز *ciz* res pro چيـز nonnunquam tamen separantur ut پياز *piaz* cepa: & aliquando duo illa puncta in curvam lineolam extenduntur sic; quod & in ق & reliquis punctatis non est infrequens. 10. س & ش sæpe in curvam lineam expanduntur, decussatis dentibus. sic, ـسـ & tria puncta ـشـ in lineolam etiam convertuntur in hunc modum ـشـ. 11. Cum ordinariè sine vocalibus scribant Persæ quædam voces solis vocalibus distinctæ solum ex materiæ contextu dignoscuntur, ut گِل *ghil* lutum, & گُل *goul* rosa. كُشتَن kasçten seminare. & كُشتَن *kouscten* occidere, &c. 12 Cum vocales per literas اوي procucuntur, nempe *phatah* per ا *kesra* per ي *dhamma* per و promiscuè eædem passim corripiuntur abjectis literis اوي. Ut دهان *dehen*, os oris, & راه, دهن *rah* via, & ده *dieh* pagus, & ده; بگيرد *beghired* capiet, & بگرد; بيرون *biroun* extra, & برون; بگر & دگر; پدر & پدر; 13. Dictiones multæ consonantes quasdam promiscuè vel habent, vel amittunt idque tum in fine ut فرود *feroud* infra, & فرو *ferou*: چندان *cium* quum, & چون *ciou*; كنان *konan* faciens, & كنا kona: tùm in principio; ut ابر *eber* supra, & *ber*; اگر *egher* si & گر *gher*, unde وگر *vegher* & si, quod & abjecto گ dicitur ور *ver*, unde ورنه *verne* & si non, alioqui. Sic pro ز ez, ex, de, sæpe est simplex ز ut زان; *zon* ex illo pro ازان; زيک; *zeyek* ex uno, pro ازيک. 14. ب Præposita particula ب sæpe in د mutatur euphoniæ gratia; ut بدو in illo, pro باو; بدين *bed-in*, in hoc, pro باين, quæ tamen quoque passim reperiuntur;

tur; aut etiam relicto ا inscribitur بدان *Bed-on* in isto, pro بدآن. Hæc circa lectionem librorum M. S. sufficiant & circa consonantes; ut autem discrimen advertas inter linguæ Arabicæ, & Persicæ præcepta circa consonantes, Grammaticas Arabicas consule, quarum ut refrices memoriam, quatenus hac in re juvant illa sic metricè resolvimus;

Sunt Arabum numero viginti literæ & octo:
Quælibet illarum noris quod consona vox est:
Quatuor existunt labri, veluti be, fe, mim, vau
Et sibili totidem, seu dentis sin, ze, sein, & ssad;
Quatuor & faucis dantur, totidemque palati.
Suntque decem linguæ, quas discere mente memento;
Ut proferre scias experto crede Roberto:
Accipit & linguæ, & dentis sol Grammata sunto:
Quinque decem eclypsim patientis Grammata lunæ.
Sunt numero tredecim servilia Grammata, sed quæ
Præterea remanent radicis Grammata sunto.

Id est;

a. Literæ labiales 4 ب ف م و quæ Arabicè vocantur اَلشَّفَويَّات *e-sciasiat. b.* Literæ sibilantes 4. ز س ش ص qua Arabicè dicuntur اَلاسليَّات *el-asliat. c.* Nota hic quod ا & ء non computandas duco inter gutturales, sed tantum ء ه ح خ, quæ Arabicè اَلحَلقيَّات vocantur seu gutturales, quamquam etiam ع in medio, aut ad summum paulò infra medium palati pronunciandam existimo. *d.* Palatinæ linguæ 4, ج ق ك ي quæ Arabicè vocantur *e-sciegeriat. e.* Literæ linguales, quas اَللِّسانيَّات *ellesaniat* Arabes vocant sunt 10. ت ث د ذ ر ض ط ظ ل ن. *f.* A præceptore experto ore tenus discenda pronunciatio. *g.* Literæ solares, quæ vocantur اَلشَّمسيَّات *essciamsiat* sunt tredecim ت ث د ذ ر ز س ش ص ض ط ظ ل ن. *h.* Literæ lunares sunt 15 ا ب ج ح خ ع غ ف ق ك م ه و ي, quæ Arabicè اَلقَمريَّات vocantur: illæ solares ex hoc præcipuè vocantur. quia cum habent articulum ال el & sunt in principio dictionis duplicantur per تشديد *tes-cdit*, de quo infra, & si præcedat alia dictio totus articulus quiescit, & eclypsim patitur ac si ibi non esset, & solaris distribuitur una præcedenti, altera sequenti syllabæ ut, اَسماء ذي *fissemai* in cœlo: si autem nulla præ cedit dictio sola litera ل articuli eclypsim patitur & ا alif pronunciatur ut اَصّلاة *essalato*, oratio: lunares vero articulo ال nullam eclypsim inferunt. *i.* Literæ serviles vocantur Arabicè *elmostafâelat* اَلمُستَفعلات suntque numero 13; ا ب ت س ف ك ل م ن ه و ي. *k.* Radicales (*Mosdar* enim radix Arabicè dicitur) quæ *elosliat* dicuntur sunt 15 videlicet; ث ج ح خ ر ز س ش ص ض ط ظ ع غ ق.

CAPUT II.

De vocalibus, & lectionis notis.

VOcalis quæ Arabibus حركت *haroket*, seù motio dicitur; apud Persas etiam triplex est;

Fatha بَ	sonat.	A vel E.
Kesra بِ		E vel I.
Dhamma بُ		O vel V.

Fatha autem in syllaba ultima infinitivi valet E, quod etiam obtinet cum sequitur gesma, ut كردن *kerden*, facere, non autem legito *kardan*.

Persæ inter loquendum, Euphoniæ gratia vocales aliquas adjiciunt quam fermè semper in scribendo prætermittunt: v. g. *madere men* quod scribunt *madere-men* مادر من mater mea; *Sahebe men* Domine mi, quod scribunt *Saheb men* صاحب من.

Prima dictionis vocalis sequente immediatè vocali altera, plerumque ita leviter pronunciatur, ut quasi absorbeatur, & fere valeat scheva mobile Hebræorum, ut خواستن *c-hasten* velle; pro *c-houasten*, *c-hunden* خواندن legere, vocare; pro *c-houanden*.

Jam ut cum Arabicis vocalibus harmoniam agnoscas, sequens exhibeo mnemosynon;

Est nomen triplex Arabum vocalibus; estque
Prima phata a, e, quæ est nostris æqua valore duabus
A sonat extremæ, quando est in fine loquelæ.
Tum super el tes-c-did, tum cum sistit super a ا, vau و:
Grammata cumque super medio quæ gutture profers.
E sonat afficiens primas, mediasque figuras.
I sonat extremæ subscriptum kesræ figuræ,
Literâ item tectum, quæ extremam ye est ante figuram;
Omnibus in reliquis habet E semperque valorem.
Præcedens vau cù dhamma sonat, sic dicito yaroû
Dum vau non sequitur sonat o, sic dicito yansor.

Grammaticæ Arabicæ candidatis horum versuum explicatio facilis erit.

Præter vocales in usu etiam sunt notæ illæ Orthographicæ, quæ Arabibus vocantur جزم *giezm*, تشديد *tes-cdid*, همزه *hamzeh*, & مدّه *maddeh*: sed *wesleh* وصله non habent cum Arabibus commune.

Giezm sic solet pingi, literisque omnibus commune est, denotatque earum quietem.

Tescdid omnes literas geminat, & sic depingitur.

Hamzeh rarò occurrit apud Persas nisi in finale ء, ه, & sic depingitur.

Maddeh ~ Persæ ~ ا apponunt in dictionum principio loco vocalis, & æquivalet a longo seu (ā) *camats* Ebræorum: apponitur quoque in medio cuvis dictioni ubi indicanda est elisio quiescentis ا ut آلله pro الاه *allah* Deus آگاهي *agahi*, pro آگهي notitia; نگاه *negheh*, pro نگاهي observatio.

Persæ in vocabulis quæ duas consequentes consonas vocalibus destitutas habent solam secundam giezmâ notare solent ut جنگ *genk* bellum دست *dest* manus.

Præcepta autem purè Arabica circa tales lectionis notas hæc sunto;

Præter vocales Arabum sunt quintupla signa.
Quæ debes servare, cupis si dicere rectè:
Hamzato, & el Waslo, el Tescdido, el Maddeque, giezmo;
Pungit, conjungit, duplicat, propendit & aufert.
Hamzatum signum tantum supportat Aliphus,
Cum motum retinet, sistens in fronte loquelæ,
Ergo pater noster recitans ā bounta dat hamzo:
Tu percussisti scribas sic, ēnte zarabto
Nilque sovare solet signum hamzo præter aliphum.

Prima capit primum, ſignumque ſecunda ſecundum
Dictio Waſlo capit, quod ſolum tangit aliphum.
Atque quieſcentem prorſus facit eſſe figuram:
Namque pater noſter qui, tu aboun-elledi profer,
Quippe velut ſcandis Waſlatumque aufer aliphum.
Des Waſlum tacito, expreſſo des hamzet aliphο:
Terraque el arz ſcribes; in terrâ, ſcande fi-l arzi.
Litera per teſçdid geminatur, quam afficit, atque
Grammata cuncta gravans, unum reveretur aliphum
Afficiuntur item teſçdit ſolisque figuræ
Dum poſt el celebrem articulum veniunt, tacet ipſe
Articulus veluti non ſit, tunc ſyllaba quæ præ
Acceptat ſolarem unam, unam ſyllaba quæ poſt
Exemplum præſens canonis ſi-ſſammavat eſto
Hoc eſt; in cœlis, ſi præſit dictio nulla
Lam remanet tacitum, tu tantum profer aliphum;
Eſſalat exempli cauſâ, non el ſalat unquam.
Ante Hamzeh veniens protendit maddet aliphum.
Literam & orbabit vocali giezmo retorquens
Ad membrum anterius giezmatum; hanc trahit adſe:
Ex gezmo triplex ſit tantum ſyllaba duplex.

Perſæ etiam ſigno tanuin non utuntur: unde hactenus harmoniam quandam quoad elementa ipſorum lingua conſtituit; verùm in cæteris ulterius quidquam à Grammaticâ Arabicâ mutuare abſonum omnino duxerim: verùm quidem eſt quod moderna Perſarum lingua, quam پارسي *Parſi* vocant innumera etiamnum vocabula Arabica ſibi adſciſcit, præſertim nomina, participia, & infinitivos loco nominum, & adverbiorum, ſed ita ſibi propria facit, ut ad nulla verborum Arabicorum præcepta recurrere neceſſe ſit: antiqua vero, ſive Partica lingua, quam فرسي *fourſi* vocant, & à moderna differt uti Gothica lingua à moderna Gallica, ſolos characteres Arabicos mutuatur, in cæteris independens: Neutra porrò genium Grammaticæ Arabicæ ulterius ſequitur, ut ex ſequentibus patebit, quocirca ſit.

CAPUT 3.

De linguæ Perſicæ cum Europæis analogia.

SI verbum ſubſtantivum examinem invenio Latinè ſum, es, eſt; Perſicè em, i, eſt است ام اي;

Si infinitivos omnes conſiderem, hi cadentiam habent in en, den, ten, uti in Belgica lingua کردن *kerden* facere; ساختن *ſac-hten* item facere; نمودن *nemouden* exhibere, بودن *bouden* eſſe; شدن *ſciuden* fieri; &c. Et in Belgicâ lingua **maken/doen/bieden weſen/worden**: &c.

Si comparativa perpendam uti Belgica lingua hæc inter exprimit, ita Perſica; ut *bouzourcter* بزرگتر major; *couchukter* کوچکتر minor; *bcheter* بهتر melior &c. Et in Belgica; **grooter/klepnder/beeter**: &c.

Si ad diminutiva attendam Perſicè, & Belgicè in کے *ke* deſinunt ut; *merdeke*; مردکه homunculus; *zeneke* زنکه; muliercula; &c. Et Belgicè **mannetje/vrouwtje**: &c.

Si denique nomina quam plurima ad ſcrutinium deducantur, innumera propemodum, aut à Græcâ autà Latina, aut à Belgicâ, aliiſve Idiomatibus noſtratibus accepta; multa quoque nobis viciſſim fuiſſe communicata ad oculum patet, & ad aurem; quocirca breviorem hunc elenchum ſubjicere nulli injucundum fore duximus, dictionum videlicet, inter quas, ac gloſſemata noſtra analogia quædam intercedit.

Abrou ابرو ſupercilium, Belgicè **vrouwe** & Anglicè &: Macedonicè αφρυες.

Abrou-ali-ſina ابوعلي سينا avicenna; ſonat autem Sina cujus Pater Ali.

Abou-Reis ابورويس Averroes, ſed ſonat Arabicè Pater ejus Dynaſta, ſeu Dinaſtæ filius.

Adam ادم homo.

Aferiden آفريدن creare: Teutonicè **herepden.**

Afioun افيون opium.

Aflatoun افلاطون, Gallicè *Platon.*

Aftimoun افتيمون epithymus.

Ah! آه Ah!

Amarıl امارىل Gall: *amarres d'un navire.*

Amber انبر ambra.

Amin امين Amen.

Auant اوانچي pro angari; angaria: quando curſores Regis Perſiæ equum viatorum vi armata manu exigunt, unde in libro Gallico præclaro ad modum, cui titulus; *le jardin des racines Greeques en vers François* pag. 4. *j'admire* en ſuſpens, اوانچيان courriers des Perſans.

Amma اما ſed: Italicè, *mà.*

Angour انگور uva, Græcè vulgò αγουρια.

Areſtou ارسطو Ariſtoteles.

Avreh اره ſecuris Ital: *ſerra.*

Asmoudeh آسمودى Aſmodeus: vox purè Perſica: i. e. tentator.

Aſtourlab اسطرلاب aſtrolabium.

Aßoulougia اثولوجيا Theologia.

Atlas اطلاس Atlas pannus.

Baba بابا Pater, Papa.

Babil بابيل Babilonia; ſic vocatur in libro partico نامه.

Badengiun بادنجان mala inſana: Ital: *melenzane.*

Bala-c-haneh بالاخانه feneſtra clathrata: hanc vocem lingua Gallica a Perſis accepit, dicimus enim *balcon.*

Baleſſan بالسان balzamum.

Baritoun باريطون peritonæum.

Bend بند ligamen: Gall: *bande*; Belg: **band.**

Bed بد malus: Belg: **Bed.**

Beſter بستر pulvinar Belg: **bolſter.**

Berber بربر barbitonſor: Belg: **Barbier**, Gall: *Barbier.*

Berberis بربريس uva ſpina: in officinis Europæis *Berberis.*

Betil بطيل ſcapha, Ital: *batello.*

Beheter بهتر melior: Belg: **beeter.**

Bol بل bolis.

Boqrat بقراط Hyppocrates.

Berader برادر frater: Belg: **broeder.**

Calem قلم calamus.

Candil قنديل lampas; quaſi candela.

Cannab قناب cannabis: Belg: **kennep.**

Capanek كپنك cappa.

Cazeh كاز caſa: domuncula hortulanorum.

Cak كاك juxta Toloſæ dialectum *coco*: tortella panis: libum: Belgicè **koek.**

Carbas كرباس carbaſus.

Caranfoul قرنفل cariophyllus.

Caßeh كاسه ſcutella: lingua Toloſona *caſſo.*

Cera چرا quare.

Cerb چرب adeps: zirbus.

Chir-c-heſt شير خشت manna; ſeu dicas zir ξηρον lac; & *c-heſt*, quæ eſt arbor ſupra quam condenſatur manna: ſed forſan vel ipſum nomen lac indicat Arabes ſentire quod manna ſudor ſit ipſius Arboris, non autem ros aereus in arborem delapſus.

Chizi چيزي Gallicè *choſe*: res.
C-boda خدا Deus: Belgicè **Godt.**
C-hos-rou خسرو C-hoſroas a voce *c-houſes* خوش i.e. gratus & روي vultus.
Ciar-tar چارطار cytara: Perſicè ſonat *ciar* quatuor, & *tar* fides.
C-hourmend خورمند helluo: Gallicè *gourmand*, quæ vox num à lingua Perſica detorta?
Corn قرن cornu.
Coucou قوقو cuculus, *cocu*.
Courqom كركم crocus.
Courtom قرطم carthamum.
Croukeh قروقه Gallina habens pullos; Italicè *chiocca*.
Cruſ قرش crux: Hiſpanicè *cruz*, *crouzada*; nummus argenteus.
Dad داد dedit.
Daden دادن dare.
Danial دانيال Daniel
Deh ده da: age: Gallicè *hai da*.
Dendon دندان dens.
Der در porta: Belgicè **door**.
Derem درم draghma.
Dinar دينار denarium: *denier*.
Diù ديو gigas: quaſi Deus: deaſter.
Doc hter دختر filia: Belg: **dochter.**
Dou دو duo.
Douazdeh دوازده duodecim; Gallicè *douze*.
Doucou دوقو daucus.
De-ſied دو صد ducenta: Belg: **twee dupſent** ſed Belgicè duo millia ſonat.
Doür دور Gall: *tour*; gyrus.
Dorouſt درست rectus: Gall: *droit*.
Ebanus ابنوس Ebenus.
Eblis ابليس Diabolus.
Eelim اكليم clima.
El-handzal الحنظل colocynthis: in officinis al-andal.
Elmenach المناخ Almanach.
Enderun اندرون internum.
Engil انجيل Evangelium.
Eskender اسكندر Alexander.
Euclides اوكليدس.
Evida هويدا evidens.
Ez از ex.
Favania فوانيا pæonia.
Fardeus فردوس Paradiſus: vox purè origine Perſica.
Farfarious فرفريوس Porphirius.
Feïloſouf فيلسوف Philoſophus.
Periſteh-gian, ſeu *Prêtre gian* فرشته خان Perſica dubiè a Noſtratibus detorta ad denominationem abſonam Presbiteri Joannis ſeu, Abiſſorum Regis.
Felfel فلفل: dicunt etiam پلپل *pelpel* piper.
Firouzeh فيروزه Turchezia: ex Græco ſumpta vox: Jaſpis πίρινος; hinc quippe difformata vox proceſſit firouzeh.
Forn فرن furnus.
Fortuneh فرتونه tempeſtas Ital: fortuna.
Franc فرنك Francus; Europœus.
Gaz غاز gaza; ſignificat propriè denarium; ſic etiam Theſaurum Regis Perſarum, quemad modum Gallicè *les derniers du Roy*.
Gargareh غرغره gargariſmus.
Gebrail جبرايل Gabriel.
Gens جنس genus.
Gentiana جنطيانا gentiana.
Gevon جوان juvenis.
Gialenous جالنوس Galenus.
Gigher جيگر hepar: tranſlatâ, & confuſâ voce vocamus avium ſtomachum Gallicè *gigier*.
Gurçh گچ gypſum, Ital: *geſſo*.
Goulou غولى gula: fauces.
Hagi حاجي peregrinus Mekkæ; quaſi حاج ſanctus, aut ſanctificatus: ſic Chriſtiani Orientales peregrinum Hieroſolimæ vocant مقدسي, *i. e.* ſanctificatum.
Hasçt هشت octo: Belgicè **acht.**
Honer هنر honor.
Jaqout ياقوت rubinus: hyacyntuus: Græcè ὑακινθος.
Jac-h يخ glacies: Italicè *giaccio*.
Jaſep يشپ jaſpis.
Jaſemin ياسمين gelſominum: Gall: *jaſſemin*.
Jounani يعقاني Græcus; qs. Æonius.
Irſa ايرسا iris flos.
Iſſaqouci يساقوچي Iſagoge.
Kch كه quod: Gallicè *que*.
Keras قراس ceraſa.
Kermes كرمز coccineus: *cramoiſi*.
Kis كيس ſaccus: Gallicè quaſi inverſo nomine *ſac*.
Kliſſia كليسيا Eccleſia.
Lab لب labinm: Belg: **lippe.**
Lac لك lacca: cancamum.
Laden لادن ladanum.
Lagiovert لاجورد qs. azureus.
Lehi لهي polonus: qs: Lekkus à Rege Lech.
Leïen ليان fluidus: Gallicè *dilayé*: Occitana lingua *lai*.
Lenguer لنگر anchora: qs. Gallicè *l'ancre*.
Limou ليمو limonium.
Mader مادر Mater: Belg: **Moeder.**
Madreſſeh مدرسه univerſitas; collegium qs. matrix.
Magzen مغزن officina: foruli: hanc vocem à Perſis Gallia mutuatur *Magazin*.
Mourd-eſt مرده است mortuus eſt.
Mourt مرد myrthus.
Mouſçs موش mus.
Mouſiqi موسقي Muſica.
Mouz موز muſa; arbor.
Naf ناف umbilicus: Belg: **nabel.**
Nareng نارنج malum aureum: Gall: *Orange*.
Nardin ناردين nardus.
Narguez نارگز narcyſſus.
Nauad نواد nonaginta: Ital: *novanta*.
Naul نول naulus.
Ne نه non: Gallicè *ne*.
Ninive نينوه Ninive.
Niſt نيست non eſt: Gall: *n'eſt*.
Nom نام nomen.
Nou نو novus.
Noxun نكسان noxium.
Oukianous اوقيانوس Occeanus.
Ozadeh اوزاده corrupta voce al-hidadam aſtrolabii pronunciamus.
Padſemat پطسمط panis nauticus: paximatium.
Pah پاه pes.
Paieh پايه ſuppedaneum: baſis.
Pambeh پنبه bombacium.
Papa پاپا Papa.
Papas پاپاس ſacerdos: Turcica vox a Græcâ παπας.
Papouſç پاپوش crepida: calceus a Græcâ παπουτσι.
Pars پارس pardus.
Pah-zeher پاه زهر bezoar: ſonat contra venenum.
Peder پدر Pater.
Peng پنج quinque: πεντε.
Perper پرپر portulaca: Armena vox Gallicè *pourpie*.

Peſteh

Pesteh پسته: pistachium.
Piadeh پیاده pedes: Ital: pedone.
Pialeh پیاله crater: qs. phyala.
Pol پل pons.
Qanum قانون canon.
Qazà قضا accidens; casus.
Qafa قفا occiput, Belgicè **kuffe**.
Quernas قرناس Belgice **karonje** Gallicè *charogne*; cadaver belluæ ejectum.
Richeh ریشه radix: Gall: racine.
Rustai روستای rusticus.
Saboun صابون sapo: Gall: *Savon*.
Salata سلاطه acetarium: Ital: *Salata*.
Sagallat سقلاط coccus baphica: escarlat Gall: *ecarlate*.
Sapor شاپور Sapor Rex: sonat Regis filium: lingua nempe Particâ, nam شاه *ciah* i. e. Rex; & پور *pour* i. e. filius quod hodie vocant *ciah-zadeh* شاه زاده.
Scia-mat شاه مات; Arabicè; Rex mortuus est; quod corruptè dicimus echec & mat in latrunculorum lusu.
Schaïtan شیطان Satan.
Schakar شکر saccharus.
Scherbet شربت syrupum.
Schesh شش sex.
Sed صد centum: Gall: *cent*.
Seft سفت durus Anglicè *soft*.
Segel سجل sygillum.
Sekkeh سکه domus monetaria: Italicè *secca*.
Senai سنای sena.
Setareh ستاره astrum.
Sfengi سفنجی spongia.
Setreng Ζατρίκιον. سطرنج latrunculorum lusus.
Sineh سینه sinus: gremium.
Tac-hteh تخته asser: qs; tectum.
Talq تلک talchum.
Tambakou تنباکو Tabaccum.
Tas تاس crater:: Gallicè tasse.
Tebl طبل tympanum.
Terra d'ombra تره دومبره creta suppallida vulgò Ital: *terra d'ombra*.
Tafteh تفته pannus sericus; vulgò *tafta*.
Tamboureh تنبوره tympanum; *tambour*.
Tarif تعریف inter mercatores usurpata vox *tariffa*.
Terbed تربد turbitum.
Terbentin طربنتین terebynthina.
Tou تو tu.
Toun تون cuppula balnei: qs: Gallicè *tonne*.
Tounder تندر tonitru Belg: **donder**.
Toutia توتیا tuthia.
Zafferon زعفران zaffaranum.
Zereh زره genus amiculi bellici ferrei.
Zemeroud زمرود smaragdus.
Zernis-h زرنیخ arsenicum.

CAPUT IV.

De Verbo.

VErbo conveniunt forma, figura, species, conjugatio, modus, tempus, persona.

Quoad formam verbum dividitur in activum, passivum, & neutrum.

Figura verborum aut simplex est, aut composita.

Verbum activum simplex unâ simplici voce actionem exprimit ut کردن *facere*, خوردن *manducare*, دادن *dare*, دیدن *videre*, ساختن *efficere*.

Compositum, quod ex verbo simplici. & substantivo, aut adjectivo, aut præpositione, aut aliâ orationis parte efformatur: verba porro huic compositioni inservientia, quæ transcendentalia voco, utpote quæ frequentissimè in compositionis Persarum contextu recurrant, ut ex lectione cujus libet hujus Gazophylacii paginæ patebit, sunt sequentia; کردن *facere* quo vel unico verbo addito infinita propemodum alia componunt, quæ simplicibus præferunt ut بازی کردن *facere ludum*, pro بازیدن *ludere*; دور کردن *facere gyrum* pro دوریدن *gyrare*; طلب کردن *facere petitionem* pro طلبیدن *petere*: tùm eandem vim verbi کردن tribuunt his duobus nempe ساختن *efficere*, & نمودن *ostendere* quæ juxta exigentiam nominis cui conjunguntur, trahuntur ad elegantiorem sensum, ut cum dicis بازی نمودن ostendere ludum non intelligas, sed v. g. exercere ludum, sic cum dicis طلب نمودن petitionem ostendere non vertas, sed petitionem exhibere: minus autem occurrunt sequentia خوردن manducare, quod tamen transcentaliter applicatur disparatis etiam cum elegantiâ, ut سرما خوردن quasi dicas; *frigus manducare*, pro frigere, چوب خوردن *fustem manducare* pro fuste percuti &c.

بردن *portare*, ex quo componunt, v. g. فرمان بردن quasi dicas; *præceptum portare*, pro obedire. Sic ferme sequentia applicata inter legendum observabis آوردن adferre, زدن verberare.

Passivum fit, & in verbis simplicibus, & in compositis à verbis substantivis شدن, شکردیدن, vel گشتن quæ propriè *fieri* significant, cum participio præteriti; v. g. برده شدن qs. d. *allatum esse*, pro *auferri*, شسته شدن vel گشتن کردیدن *lotum fieri*, pro *lavari*.

Passivum etiam fieri potest ab adjectivis nonnullis, & verbo شدن vel شکردیدن, ut پاکی شدن *mundum fieri*, pro *mundari*, دوست کردیدن, vel دوست گشتن *amicum fieri*, pro *amari*: & nonnunquam à nominibus substantivis eodem modo quo fit à participio; ut عمارت شدن sonat *ædificationem fieri*, pro *ædificari*, اغاز شدن, sonat; *inceptionem fieri* pro *incipi*.

Neutrum vel *simplex* est, ut ترسیدن timere, مردن mori, رفتن ire, آمدن venire, &c. vel est *compositum*, quod sæpissimè fit à verbo شدن cum adjectivo, & substantivo, ut خموش شدن sonat; *extinctum*, seu *tacitum fieri* pro *tacere*, روشن شدن *fulgidum fieri* pro *fulgere*, nonnunquam verò fit e verbo داشتن habere, & substantivo, vel adjectivo v g. حیا داشتن *pudorem habere* pro *pudere* روزه داشتن *jejunium habere*, pro *jejunare*.

Verbum quoad speciem dividitur in *primitivum*, ut سوختن *comburere*, خفتن dormire: & *derivativum* quod à primitivo deducitur, desinitque vel in یدن vel in in انیدن vel دن in infinitivo, ut سوختن *comburere* سوزیدن item *comburere* سوزانیدن vel سوزاندن *facere comburere*; خفتن *dormire*, خوابیدن item *dormire* خوابانیدن vel خواباندن *facere dormire*: quæ in یدن desinunt formantur à præsenti, & à secundâ personâ singulari primitivorum ut à خفتن *dormire* خفی dormis fit nova species addito دن nempe خوابیدن.

Quæ in انیدن terminantur fiunt tam à primitivis, quam derivativis in یدن desinentibus, ut à خوردن primitivo *manducare* fit خوراندن facere manducare, & à جنبیدن primitivo, i. e. *movere* fit جنبانیدن vel جنبندن *facere movere*: & à سوزیدن fit سوزانیدن *facere comburere*; ita ut verba neutra hac terminatione fiant ex intransitivis transitiva, sive dupliciter activa, utà رسیدن *pervenire*, verbo intransitivo, fit رساندن vel رسانیدن *facere pervenire*

venire, quod est verbum transitivum.

Conjugationem unicam dixerim; quamquam enim una sit verborum quæ habent infinitivum in تن, ut بستن *claudere* præcedente literâ quiescente, & altera eorum, quorum infinitivus desinit in دن, (quæ utique literæ تن, & دن sunt serviles characteristicæ infinitivi) nihilominus ob modicam anomalium diversam non videntur constituere conjugationem.

Modi tres sunt, *indicativus*, *imperativus*, *infinitivus*, reliqui verò supplentur præfixis particulis optativi, aut subjunctivi.

Tempora quinque sunt, quorum quædam facile à radice, nempe ab infinitivo ducuntur, quædam vero difficilius.

Præsens ab infinitivo deducere præcipua linguæ Persicæ difficultas est; quæ tamen ad duas regulas reduci valet; imò si quis viginti circiter formationum genium notet; naturaliter, & absque speculationis ope cætera cuncta formare poterit; sint ad exemplum کردن-میکنم *facere facio*: ساختن-میسازم *efficere, efficio*: ریختن *effundere effundo*: ریختن-میریزم *ire*, رفتن-میایم *venire, venio*: دادن-میدهم *dare, do*: بردن-میبرم *ferre fero*, خریدن-میخرم *emere emo*: فروختن-میفروشم *vendere, vendo*: طلبیدن-میطلبم *petere, peto*: دیدن-میبینم *videre, video*: رسیدن-میرسم *pervenire, pervenio*: ترسیدن-میترسم *terrefacere, terrefacio*: ترسانیدن-میترسانم *timere, timeo*: پوشیدن-میپوشم *vestire, vestio*: پوشانیدن-میپوشانم *induere, induo*: نمودن-مینمایم *ostendere, ostendo*: پختن-میپزم *coquere, coquo*: پزانیدن-میپزانم *coquere facere, coquere facio*: شنیدن-میشنوم *audire, audio*: لیسیدن-میلیسم *lingere, lingo*: cætera hujusmodi usus docebit; sed ad theoriam sit;

Regula 1. quorum infinitivus desinit in دن ea syllabicam terminationem دن sine aliâ mutatione in م mutant in prima persona præsentis, & singulari numero, ut à شمردن *numerare* میشمرم *numero*: خواندن *vocare*: میخوانم *voco*: استانن-میستانم *accipere accipio*.

Eandem etiam flexionem sequuntur quæ in یدن vel افتادن terminantur in infinitivo; similiter enim vel یدن in م convertitur in præsenti ut à بریدن *scindere* میبرم *scindo*: برگردانیدن *convertere*, میگردانم *converto*.

Quæ verò habet و immediatè ante دن in præsenti mutant دن in یم, & و etiam in ا commutatur; ut à نمودن *ostendere* مینمایم *ostendo*, à فرمودن *præcipere* میفرمایم *præcipio*: & sic de cæteris.

Anomala censenda sunt; شدن *esse* میشوم *sum*: دادن *dare*, میدهم *do*: زدن *percutere* میزنم *percutio*: دیدن *videre*, میبینم *video*: آمدن *venire*, میایم *venio*: آوردن *afferre*, میارم *affero* licet میاورم *regulariter* in veniatur. آفریدن *creare*, میافرینم *creo*: گشادن *aperire*, میگشایم *aperio*: کردن *facere* میکنم *facio*.

Regula 2. Quorum infinitivus desinit in تن ea etiam syllabicam terminationem تن in م vertunt in præsenti, & litera immediatè præcedens تن quæ solet esse vel خ, vel س, vel ش, vel ف, variè commutatur in præsenti v. g.

Si خ præcedat, vel خ resolvitur in ز ut سوختن *comburere* میسوزم *comburo*: انداختن *projicere* میاندازم *projicio*: vel mutatur in literam ejusdem organi cum ز *h. e.* in س vel ش, ut شناختن *cognoscere*, میشناسم *cognoso*: فروختن *vendere* میفروشم *vendo*.

Si س præcedat fathâ, س aliquando mutatur in ن, ut شکستن *frangere* میشکنم *frango*: aliquando in ز ut جستن *saltare* میجهم *salto* کاستن *subtrahere* میکاهم *subtraho*: aliquando in ر ut, گریستن *flere*, میگریم *fleo*. Excipe خاستن *surgere*, میخیزم *surgo*, quod peculiarem anomaliam obtinet, ut & بستن *ligare*, میبندم *ligo*.

Si س præcedat cum dhammâ convertitur in و ut شستن *lavare* میشویم *lavo*: جستن *quærere*, میجویم *quæro*.

Si س præcedat cum kesra convertitur in ی, ut زیستن *vivere* میزیم *vivo*. Vel frequentius abjicitur, ut دانستن *scire*, میدانم *scio*, توانستن *posse* میتوانم *possum*; sed نشستن *sedere* in præsenti habet مینشینم *sedeo*, interjecto ی.

Si præcedat ش cum ا convertitur in ر, ut داشتن *habere* میدارم *habeo*: گذاشتن *relinquere*, *præterire*, میگذارم *relinquo*, *prætereo*.

Ultimò si præcedat ف, mutatur in ب, vel و; quæ cum sint literæ ejusdem organi, ut Grammatici notant, facile inter se commutantur: ita کوفتن *pulsare* میکوبم *pulso*: یافتن *invenire*, می یابم *invenio*: رفتن *ire*, می روم *eo*.

Excipienda sunt گفتن *dicere*, می گویم *dico*: گرفتن *capere* می گیرم, sive می گرم *capio*, quæ anomala censenda sunt.

Cognitis præsenti, & infinitivo, in reliquis temporibus deducendis nulla est difficultas. A præsenti enim, aut infinitivo omnia formantur. Nempe præteritum perfectum, imperfectum, & plus quam perfectum ab infinitivo: Futurum verò, atque etiam imperativus modus à præsenti.

Perfectum fit mutando دن infinitivi in م, ut خوردن *manducare*, خوردم *manducavi*.

Imperfectum fit præponendo می ante præteritum, ut می خوردم *manducabam*.

Plusquam perfectum fit à participio præteriti, & verbo substantivo بودن *esse*, ut خورده بودم *manducaveram*. Participium autem præteriti idem est cum infinitivo mutato solum دن in ه, ut suo loco dicetur.

Futurum fit à præsenti abjiciendo می, & præponendo ب vel به, ut بخورم vel به خورم *manducabo*: vel communius solùm abjecto می ut خورم manducabo.

Solent nonnulli futurum secundum, quod compositum vocant, adjungere; verùm id nullo cum dispendio omitti potest: fit enim à verbo خواهم *volo* & ab infinitivo, elisâ ن nota ejus, quæ alibi etiam excidit: ut خواهم خورد *volo manducare* h. e. *manducabo*.

Imperativus affirmativus est idem cum futuro abjecta solum ejus terminatione ی in secunda persona singulari, ut بکن *fac* à بکنی *facies*.

Notandum autem ب in imperativo euphoniæ gratia ut بِ vel بِ vel بُ pronunciari, pro ratione vocalium, & consonantium sequentium, iterum in *futuro*, & in imperativo بِ cum ا præfigi, si verbum incipit ab ا, ut بیفروزم *accendam*, بیفروزش *accendat*, افروختن *accendere*, بیفروز *accende*, quo casu ا verbi non raro omittitur, ut بیفروزم *accendam*, بیفروز *accende*.

Imperativus negativus fit præfixa م negationis nota, vel particula مه in locum ب ut مکن *non fac*, مشو *non esto*. Si prima radicalis incipiat ab ا, mutatur ه in بِ ut میا, & مها ne veni, pro ما & ا.

Conjugatio verbi perfecti كردن facere.

Præsens.

Facio,	Sing.	مي كنم
Facis,		مي كني
Facit.		مي كند
Facimus,	Plur.	مي كنيم
Facitis,		مي كنيد
Faciunt.		مي كنند

Præteritum Imperfectum.

Faciebam,	Sing.	مي كردم
Faciebas,		مي كردي
Faciebat.		مي كرد
Faciebamus,	Plur.	مي كرديم
Faciebatis,		مي كرديد
Faciebant.		مي كردند

Præteritum perfectum.

Feci,	Sing.	كردم
Feciſti,		كردي
Fecit.		كرد & كرده است
Fecimus,	Plur.	كرديم
Feciſtis,		كرديد
Fecerunt.		كردند

Præteritum plusquam perfectum.

Feceram,	Sing.	كرده بودم
Feceras,		كرده بودي
Fecerat.		كرده بود
Feceramus,	Plur.	كرده بوديم
Feceratis,		كرده بوديد
Fecerant.		كرده بودند

Futurum.

Faciam,	Sing.	بكنم
Facies,		بكني
Faciet.		بكند
Faciemus,	Plur.	بكنيم
Facietis,		بكنيد
Facient.		بكنند

Futurum ſecundum vel compoſitum.

Volo facere,	Sing.	خواهم كرد
Vis facere,		خواهي كرد
Vult facere.		خواهد كرد
Volumus facere,	Plur.	خواهيم كرد
Vultis facere,		خواهيد كرد
Volunt facere.		خواهند كرد

Imperativus.

Fac,	Sin.	بكن
Faciat.		بكند
Faciamus,	Plur.	بكنيم
Faciatis.		بكنيد
Faciant.		بكنند

Infinitivus.

Facere, كرد & كردن *præſens.*

Feciſſe. كرده بودن & كرده بودن *præt.*

Participium.

Faciens كنان & كنا *præſens.*

Qui fecit, & qui factus eſt كرده *præt.*

Gerundia formantur ab infinitivo mediante præpoſitione, vel nomine, & modum, aut finem actionis declarant; بكردن *faciendo*, *gerundivum* porrò in *di* eſt ipſemet *Infinitivus* ut وقت كردن *tempus faciendi*.

Ad hanc conjugandi formam, aliorum perfectorum verborum conjugatio flectenda eſt.

Advertendum tertiam perſonam ſingularem præteriti perfecti, & imperfecti eandem obtinere terminationem, quam Infinitivus rejecto ن; ideoque quæ in دن exeunt in د terminantur, quæ in تن in ت: ut ماندن *manere*, ماند *manſit*, راندن *perſequi* راند *perſecutus eſt*; داشتن *habere*, داشت *habuit*.

Alia eſt tertiæ perſonæ præteriti perfecti formatio per tertiam perſonam verbi ſubſtantivi هستن, & participium præteriti, ut كرده هست *fecit* quaſi dicas per modum deponentis verbi *factus eſt*; ſed ه ſæpe eliditur propter concurſum alterius ه, كرده هست *fecit*; formatio verò primæ & ſecundæ perſonæ ejuſdem præteriti perfecti inelegans eſt, & procul ab uſu, quocirca abſurdum eſſet dicere كرده هستم pro كردم *feci*, كرده هستي pro كردي *feciſti*.

In Infinitivo ن characteriſticum ſæpe abjicitur, ut هست pro هستن *eſſe*, ديد pro ديدن *videre*, چشيد pro چشيدن *guſtare*: unde tertia perſona ſingularis præteriti perfecti, Infinitivus, & participium præteriti, videntur inter ſe convenire, ſed ex orationis ſenſu facilè inter ſe invicem diſtinguuntur.

Infinitivus convenit cum verbali nomine, unde idem eſt agere, & actio, nempe كردن, & reliquorum nominum more caſibus variatur unde in accuſativo dicas كردن را *actionem*, ſed abſurdè, & ineleganter numeri pluralis affixis terminatur uude abſonum eſſet dicere كردنها *actiones*, & multo magis in accuſativo كردنهارا item *actiones* in accuſativo.

His modis, & temporibus congruè adjungitur *futurum* ſeu *præterito futurum* ſubjunctivi, quod fit per participium præteriti, & futurum verbi ſubſtantivi بودن ſic;

Si	Fecero,	Sing.	کرده باشم	اگر
	Feceris,		کرده باشي	
	Fecerit.		کرده باشد	
	Fecerimus,	Plur.	کرده باشيم	
	Feceritis,		کرده باشيد	
	Fecerint.		کرده باشند	

Notandum etiam è verbo substantivo بودن vel هستم & è participio præteriti (cujus Persæ amantissimi sunt) alia tempora, tùm in Indicativo, tùm in optativo, & subjunctivo, posse formari, uti inter legendum observabis.

Verba negativa præficiunt affirmativo نه vel ن cum verbo coalescens, ut نمیکنم vel نمیکنم *non facio*, نمیدانم *nescio* : tùm eorum inflexio cum supra posito paradigmate convenit; verum ب characteristicum futuri, præfixo ن plerumque tollitur, ut نکنم *non faciam*, Imperativus verò loco ن substituit م, & characteristicum ب etiam aufert, ut مکن *non fac.*

Anomala censenda utcunque sunt à præcedenti paradigmate verba substantiva, unde sit;

Paradigma بودن *esse.*

Præsens.

Sum,	Sing.	ام
Es,		اي
Est.		است
Sumus,	Plur.	ايم
Estis,		ايد
Sunt.		اند

Præteritum imperfectum.

Eram,	Sing.	مي بودم
Eras,		مي بودي
Erat.		مي بود
Eramus,	Plur.	مي بوديم
Eratis,		مي بوديد
Erant.		مي بودند

Præteritum perfectum.

Fui,	Sing.	بودم
Fuisti,		بودي
Fuit.		بود vel بوده است
Fuimus,	Plur.	بوديم
Fuistis,		بوديد
Fuerunt.		بودند

Præteriium plusquam perfectum.

Fueram,	Sing.	بوده شدم
Fueras,		بوده شدي
Fuerat.		بوده شد
Fueramus,	Plur.	بوده شديم
Fueratis,		بوده شديد
Fuerant.		بوده شدند

Futurum primum.

Ero.	Sing.	باشم
Eris,		باشي
Erit.		باشد
Erimus,	Plur.	باشيم
Eritis,		باشيد
Erunt.		باشند

Futurum secundum vel compositum.

Ero,	Sing.	خواهم بود
Eris,		خواهي بود
Erit.		خواهد بود
Erimus,	Plur.	خواهيم بود
Eritis,		خواهيد بود
Erunt.		خواهند بود

Imperativus.

Sis,	Sing.	باش
Sit.		باشد
Simus.	Plur.	باشيم
Sitis,		باشيد
Sint.		باشند

Infinitivus.

Esse بود vel بودن *præsens.*

Fuisse بوده شدن *præt.*

Participium.

Qui fuit بوده *præt.*

Gerundia eodem modo formantur in Infinitivo, quo in verbis perfectis; ut بودن q. d. *cum esse*, *essendo.*

Futurum subjunctivi fit sicut in verbis perfectis è futuro Indicativi, & participio, ut

Si	Fuero,	Sing.	بوده باشم	اگر
	Fueris,		بوده باشي	
	Fuerit.		بوده باشد	
	Fuerimus,	Plur.	بوده باشيم	
	Fueritis,		بوده باشيد	
	Fuerint,		بوده باشند	

eodem modo بوده شدن inflectitur eandemque significationem obtinet.

Advertendum ا in *præsenti* plerunque absorberi, si aliud ا præcedat; quin etiam alibi ut plurimùm omitti; & omnia hujus temporis veluti affixa cum antecedente voce sæpissimè coalescere; ut منم pro من ام *ego sum*

خوبست pro است خوب *bonum est*: sic برادر تست pro برادر تو است *frater tuus est*.

Præfixo ن negationis signo, ا verbi است convertitur in ۽, ut نیست *non est*; eodem modo, quo præmissis که & چه particulis interrogationis, ا mutatur, & ه abjicitur ut کیست *qui est?* چیست *quid est?*

Conjugatio شدن *fieri*, à quo verba passiva formantur.

Indicativi præsens.

Fio,	Sing.	مي شوم
Fis,		مي شوي
Fit.		مي شود
Fimus,	Plur.	مي شويم
Fitis,		مي شويد
Fiunt.		مي شوند

Præteritum Imperfectum.

Fiebam,	Sing.	مي شدم
Fiebas,		مي شدي
Fiebat,		مي شد
Fiebamus,	Plur.	مي شديم
Fiebatis,		مي شديد
Fiebant.		مي شدند

Præteritum perfectum.

Factus sum,	Sing.	شده ام
Factus es,		شده ي
Factus est.		شده vel شد است
Facti sumus	Plur.	شده ايم
Facti estis,		شده ايد
Facti sunt.		شده اند

Præteritum plusquam perfectum.

Factus fueram,	Sing.	شده بودم
Factus fueras,		شده بودي
Factus fuerat.		شده بود
Facti fueramus,	Plur.	شده بوديم
Facti fueratis,		شده بوديد
Facti fuerant.		شده بودند

Futurum.

Fiam,	Sing	شوم
Fies,		شوي
Fiet.		شود
Fiemus,	Plur.	شويم
Fietis,		شويد
Fient,		شوند

Futurum secundum.

Volo fieri, vel fiam,	Plur.	خواهم شد
Vis fieri,		خواهي شد
Vult fieri.		خواهد شد
Volumus fieri,	Sing.	خواهيم شد
Vultis fieri,		خواهيد شد
Volunt fieri.		خواهند شد

Imperativus.

Fias,	Sing.	شو
Fiat.		شود
Fiamus,	Plur.	شويم
Fiatis,		شويد
Fiant.		شوند

Infinitivus.

Fieri, شدن *præsens.*

Participium.

Qui fit, شده *præsens.*

Factus, شد *præt.*

Conjugatio هستن *esse.*

Indicativi præsens.

Sum,	Sing.	هستم
Es,		هستي
Est.		هست
Sumus,	Plur.	هستيم
Estis,		هستيد
Sunt.		هستند

Infinitivus.

Esse. هستن

Reliqui modi & tempora desiderantur.

Verba Impersonalia assumptâ, quo libet tempore tertiâ personâ pluralis numeri formantur: مي روند *eunt* pro *itur*; مي خورند *comedunt*, pro *comeditur*. مي بايد & بايد *oportet*, بايست *oportuit*. Reliquis caret temporibus.

Participium præsens formatur à præsenti Indicativi, mutando م primæ personæ notam in ا, abjiciendo augmentum مي ut مي كنم *facio*, كنا *faciens*; vel fit mutando م in ان ut كنان *faciens*.

Præteritum modo activam, modo passivam habet significationem; ut verba media apud Græcos; fit mutando ن characteristicum Infinitivi in ه; ut كردن *facere* كرده *qui fecit*, & *factus est*. Terminatio ejus in plurali frequentur est ان ut فرستادند *qui miserunt*, *vel missi sunt*, vel elisô د فرستادند: quamquam non rarò cum verbo plurali conjunctum manet invariable, ut

پاپا ربیان فرستاده از جانب مرتگاه حضرت ریم پاپا i. e. Patres missi nomine Majestatis Rom. Pontificis.

E participio præsenti, adjecto دن fit aliud *participium*, sive potius *nomen actoris*, ut è کنا fit کننده *faciens*, è روا vel روان fit روندة *vadens*; in quibus omnibus ا quiescens excidit.

CAPUT V.

De nomine, & pronomine.

NOmina Persica sive substantiva, sive adjectiva fuerint *genera* non distinguunt. Hinc generis notas planè nullas habent. Quæ apud Arabes desinunt in ة, & fœminina istic sunt, hîc mutantur in ت, ut عبادة *cultus*, sic Persicè scribitur, عبادت: suntque omnia istius terminationis Arabica: Arabismum quoque imitantur خداييت *Divinitas* انسانيت *humanitas*. Sed hæc ipsa generis hîc discrimen amittunt.

Numerus nominum singularis, vel in giesma terminatur, ut پدر pater, vel in ا quiescens, ut دانا *doctus* vel in ه otiosum præcedente *phatah*, ut خانه domus.

Dualem Persæ omnino respuunt, ita ut ne in ipsis quidem vocibus purè Arabicis, ut ita dicam, persificatis, dualis declinationem observent,

Pluralis terminationem habent duplicem, vel in ان vel in ها quasi indifferenter tum in substantivis, tum in adjectivis, sic سخنان dicitur, & سخنها *sermones*; بندگان, *servi*, & بندها, quâ etiam terminatione Arabica fiunt pluralia خادمان *servi*, & خادمها

Terminata in ا quiescens ascisunt ante ان literam ی ut desinant in یان, ut داناییان *sapientes*, کدخدایان *patres familiarum*.

Terminata in ه quiescens ascisunt ante ان literam ی ut desinant in گان idque vel manente ه, ut پرنده گان *volucres*, فرشتگان *angeli*; in quibus گان tanquam peculiaris dictio sejungi solet à suo nomine.

Vel ه absorpto, & گان cum suo nomine in unam dictionem coalescente, ut بچگان *infantes*, بنده گان *servi*.

Huc pertinent omnia participia tum præsentia in نده tum præterita ut فرستاده گان *missi*, & فرستنده گان *mittentes*.

Intellige hanc regulam de terminatione in ه quiescens habens immediatè phatah, si enim quid interveniat, terminatio pluralis est tantum ان ut گناه *peccatum*, گناهان *peccata*, پادشاه *Rex* پادشاهان *Reges*.

Secunda terminatio in ها substantivis præcipuè competit sive abstractis, sive concretis, sive animatis, sive inanimatis, ut بارها *fora*, بالها *alæ*, دیهها *pagi*.

Arabica quoque hanc terminationem sumunt, sive masculina, ut تقصیرها *culpæ*, کتابها *libri*; sive fœminina, ut صعبتها *molestiæ* آلتها *instrumenta*.

Quæ in ه præcedente immediatè *phatah* desinunt, abjicere solent ه in plurali, & si non semper, ut ante quoque in گان, ut خانه *domicilium* خانها *domicilia*.

Notandum autem, nomina composita cum fiunt pluralia terminationem pluralem affigere ultimæ dictioni, ut پاکدل *mundus corde*, پاکدلان *mundi corde*; hæc enim Persis pro una dictione habentur, & si duabus sæpe scribantur.

Casus ferme invariabiles sunt in utroque numero, attamen particula characteristica dativi & accusativi est را, hinc illico formatur nominum declinationis universalę paradigma;

Pater,	پدر	Patres,	پدران
Patris,	پدر	Patrum,	پدران
Patri,	پدررا	Patribus,	پدرانرا
Patrem,	پدررا	Patres,	پدرانرا
O Pater,	ای پدر	O Patres,	ای پدران
Patre.	از پدر	Patribus.	ازپدران
Homo,	آدم	Homines,	آدمیها
Hominis,	آدم	Hominum,	آدمیها
Homini,	آدمرا	Hominibus,	آدمیهارا
Hominem,	آدمرا	Homines,	آدمیهارا
O Homo,	ای آدم	O Homines,	ای آدمیها
Homine.	آدم	Hominibus.	ازآدمیها

Circa *genitivum* observa, quod cum duo substantiva se mutuò regunt interdum particula از *de*, *e*, *ex* genitivum format ut کتاب از پدر من *liber ex patre meo*, pro *liber patris mei*, sed melius, & usitatius addunt nomen مال, i. e. *bonum*, ut کتاب مال پدر *liber bonum patris* pro *liber patris*.

Interdum ی suffixum substantivo priori indicat posterius in genitivo accipiendum, ut خدای خدا *cultus Dei*.

Pro ی interdum ه, ut خدای خانه *domus Dei*.

Item hic notandi alii usus ی finalis, nam aliquando quoque signum unitatis, ut cum dicis مردی *vir quidam*, چیزی *res aliqua*: interdum verò distinguit abstractum à concreto, ut خدا *Deus* خدای *Deitas*: denique substantivum determinat ut apud Græcos. & articulus ال apud Arabes, ut خداوندی که می پرستم *Dominus, quem adoro*.

Dativus formatur vel præfixo به sive separato, sive conjuncto, e. g. بخود *ipsi*, q. d. *cum ipso*, & بمن *mihi* q. d. *mecum*: vel formatur suffixâ particulâ را ut آورا دادم *ipsi dedi*.

Accusativum format eadem particula را ut خدارا می پرستم *Deum adoro*, بتررا بشکن *Idolum confringe*.

Ubi autem substantivum accusativi casus construitur cum adjectivo را subjungitur adjectivo, احکام مقدسرا ارجمند داشت *mandata sancta in pretio habuit*.

Si autem construatur cum altero substantivo genitivi casus, subjungitur genitivo, ut عبادت خدایرا بیاموز *disce cultum Dei*.

Nomen substantiuum abstractum fit à tertia singulari futuri abjecta particula characteristica د, vel به & mutato ن finali in ش, ut à بنوازد *gratulabitur* fit نوازش *gratulatio*.

A concretis, & adjectivis fiunt abstracta assumendo in fine ی ut à پاک *Sanctus* fit پاکی *Sanctitas*: quod quod si concretum vel adjectivum desinat in ه præcedente immediatê phatah assumitur syllaba کی ut fiat abstractum, idque vel manente ه, ut à بیوه *vidua* fit بیوهگی *viduitas*, vel melius ه abjecto, ut à بنده *servus* fit بندگی *servitus*: huc pertinent omnia participia præterita, quæ assumpto کی fiunt abstracta, ut à آزرده *iratus* fit آزردگی *ira*, & à ستوده *laudatus* fit ستودگی

lau-

laus, ubi obſervandum diſcrimen inter ستوده, & ستایش, quod hoc ſignificat *laudem* activè, i. e. quâ laudat quis alium, illud paſſivè, i. e. qua laudatur ab alio.

Tertia perſona ſingularis præteriti perfecti cujuſcunque verbi nominaſcit, & ſumitur pro ſubſtantivo abſtracto nulla facta mutatione بازخواست *repetiit*, & *repetitio*, ſeu vindicta درخواست *poſtulavit* & *poſtulatio*, خرید و فروخت *emit* & *vendidit*, *emptio*, & *venditio*.

Infinitivi nominaſcunt, & ſine ullâ mutatione ſumuntur pro ſubſtantivis abſtractis. Ac tùm aſſumunt terminationem pluralem inſtar nominum, ut جویدن *manducare* & *manducatio*; ſed melius aſſumunt ي unitatis, ut خوردنی *manducatio*, خوردنیها *manducationes*.

A præteritis verborum fiunt interdum abſtracta aſſumendo in fine ار, ut کردار actio à کرد *egit*, دیدار à دید *vidit* *viſio*.

Ab adjectivis fiunt interdum abſtracta, aſſumendo in fine ناي ut à فراخ *latus* fit فراخنای *latitudo*, & à تنگ *anguſtus* fit تنگنای *anguſtia*.

Secunda ſingularis Imperativi non rarò ſit nomen *concretum*, nullâ factâ mutatione, niſi quod aſſumatur in Principio nomen, cum quo fiat quaſi una dictio, ut آفریدگار *crea* جهان *mundi creator*. گیر *cape*, ماهگیر *qui piſces capit*, *piſcator*; unde aſſumpto ي fit abſtractum ut ماهگیری *piſcatio*.

Participium præſens in ندہ uſurpatur frequenter pro ſubſtantivo concreto, & eſt nomen actoris, ut پرندہ *volucris* بخشندہ *condonator*.

Diminutiva fiunt ab abſolutis aſſumendo in fine ک gieſmatum præcedente phatah ut پسرک filiolus.

Adjectiva in *ndus* fiunt ab Infinitivis addito in fine ي, ut à کشتن *occidere* fit کشتنی *occidendus*; à فروختن *vendere*, fit فروختنی *vendendus*.

Adjectiva quædam fiunt à ſubſtantivis addito in fine ین; ut à شیر *lac* fit شیرین *dulcis*, vel *lacteus*.

Adjectiva quædam fiunt à ſubſtantivis, aſſumendo in fine انہ, ut پادشاهانہ *Regalis*.

Comparativa formantur à poſitivis addendo تر, *ſuperlativa* verò addendo ترین, ut à نیکی *bonus*, fit نیکوتر *melior*, & نیکوترین *optimus*.

Quando inter duas res comparatio inſtituitur, rei cui fit comparatio, particula از præponitur, quaſi dicas از آن نیکوتر *ex illo melior*.

Comparativus gradus diminuitur ſuffixo ک, ut بهترک *paulò melior*.

Hæc quoad nominum minutias ad notare ſufficiat, quæ vero de nominibus numeralibus, aliiſque dicenda forent ſuperflua duximus, quocirca ſint,

Paradigmata pronominum.

Ego,	من Nos,	ما
Mei,	من Noſtrum,	ما
Mihi,	مرا Nobis,	مارا
Me	مرا Nos,	مارا
O Ego,	ای من O Nos,	ای ما
A me,	از من A Nobis,	از ما
Tu,	تو Vos	شما
Tui,	تی Veſtrum,	شما
Tibi,	ترا Vobis,	شمارا
Te,	ترا Vos,	شمارا
O tu,	ای تی O Vos,	ای شما
A te.	از تی A vobis.	از شما

Ille او illum اورا.
Ejus etiam ioco dicitur وی.
Pluralis loco ſubſtituitur ایشان ut infrà.

Hic &c.	این Hic, hæc &c.	ایشان
	این	ایشان
	اورا	ایشانرا
	اورا	ایشانرا
	ای این	ای ایشان
	از این	از ایشان

[illegible] paſſim reperiuntur اینها in *dat.* & *acc.* ان *ille* plur. آنان: & آنهارا; in *Dat.* & *Acc.*

Pronomen relativum که *qui* چه *quid*, illud relativum perſonæ, hoc rei, in *Acc.* کرا.

Poſſeſſiva pronomina ſeparata, & propria nulla ſunt, ſed eorum vicem primitiva ſupplent, ut جان من *anima mei* pro *anima mea*, خانه تو *domus tui*, & *domus tua*.

Affixa quæ cum nominibus conjuncta poſſeſſionem ſignificant ſunt primæ perſonæ م ut پدرم *pater meus*, ſecundæ ت, ut پدرت *pater tuus*, tertiæ ش, ut پدرش *pater illius*.

Interaogativa perſonæ که *quis*? rei چه; item کدام *quis*, *qualis*.

De particulis.

Adverbiis, *præpoſitionibus*, *conjunctionibus*, *interjectionibus*, nil notatu dignum occurrit, cum illa ex contextu libri depromere lubeat.

CAPUT VI.

EXercitatio in controverſiam maximam cum Perſis & Turcis, de Divinitate Chriſti.

Ex S. Th. 4. con. gent. c. 2.

Quid ſit generatio Paternitas &
مقاله در اثبات انکه یافته میشود پدریت و
filiatio in Divinis.
پسریت و دی لن در الهیات

1. Tradit nobis ſacra ſcriptura in Divinis Paternitatis & filiationis nomina, Jeſum Chriſtum filium Dei conteſtans: 2. Quod in ſcriptura novi teſtamenti frequentiſſimè

tissimè invenitur, 3. Dicitur enim Mathei 11. *Nemo*
المسيح پسر خداست 3 چه در فصل يازدهم انجيل متي
novit filium nisi Pater : neque patrem quis novit nisi filius.
واقع است كه هيچ كس نشناخت پسرا مكر پدر و نه كس
شناخت پدررا مكر پس

4. Adhuc Marcus suum Evangelium incipit dicens.
4. انجيل مرقس فاتح باب است باين عبارت

5. *Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei.*
5. شروع انجيل ايسوع المسيح ابن الله

6. Joannes etiam Evangelista hoc frequenter ostendit.
6. نيز يوحنّا الانجيلي بسيار بارهمان حقيقت اظهار نمايد

7. Dicitur enim Joannis 3. *Pater diligit filium; & om-*
7 چه در فصل سيم انجيل خداوند گفته شد كه پدر پسررا دوست
nia dedit in manu ejus, 8. Et Joh: quinto. *Sicut Pater*
دارد و همه چيزرا بدست وي داد 8. و در فصل پنجم ابن همان
suscitat mortuos, & vivificat, sic & filius quos
انجيل واضح است كه همچنين پسر هر كه
vult vivificat.
وزنده ميكند همچنين پسر انانرا كه خواهد زنده ميكند

9. Paulus etiam Apostolus hæc verba frequenter inter-
9. نيز تكرار اين كار اين آسامي بسيار بار ظهور يافت از
serit, 10. Dicit enim ad Romanos 1. *segregatus in*
پولس الرّسول 10. چه در فصل اول رساله الي اهل روميه قايل
Evangelium Dei quod ante promiserat per Prophetas suos
است اشارت بخدا كه جدا شد براي بشارت انجيل خدا كه
in scripturis Sanctis de filio suo.
پيش وعده شده بود بواسطه انبياء خود در كتاب مقدّس در

11. Et ad Hebræos 1. *Multifariam multisque modis*
حق پسر خود 11. و در فصل اول رساله الي العبرانيين گفته
olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè
است باين عبارت فراوان بسيار و منازل پيشماز در روزگارهاي
diebus istis locutus est nobis in filio.
گرشته خداي تعالي به آبا متكلّم در انبيا گشته اخر در اين
ايام متكلّم به ما شده در پسر

12. Hoc etiam traditur licet rarius, in scripturis vete-
12. نيز اين همان در كلام عهد العتيق مرقوم است
ris Testamenti, 13. Dicitur enim Proverbiorum 20,
هرچند بارها كمتر 13. چه در سبيل سوال گفته آمد در فصل
quod nomen est ejus: & quod nomen filii ejus si nosti?
بيستم سفر الامثال نام اوچه و نام پسر اوچه اگر معلوم به تو
14. In Psalmo etiam legitur: *Dominus dixit ad me, fi-*
14 نيز در مزمور از مزامير مسطور است اين گفتار پسررب
lius meus es tu. 15. Iterum: *ipse invocavit*
بمن گفت پسر من تو اي 15. و در مزمور ديگر اين
me: Pater meus es tu. 16. Et quamvis
گفتار او مرا خواهد خواند پدرم تو اي 16. و هرچند اين دو
hæc duo ultima verba, aliqui vellent ad sensum alium

كلمرا خطاست جمعي به كج معني تاويل دهد اعني كه
retorquere, ut quod dicitur. 17. Dominus dixit ad
اين گفتار 17. ربّ بمن گفت
me, filius meus es tu, ad ipsum David referatur quod ve-
پسر من تو اي مخاطب شود به سليمان و اين گفتار
ro dicitur: *ipse invocavit me, Pater meus es tu* Salomo-
ديگر مرا خطاهد خواند پدر من تو اي پادشاه
ni attribuatur. 18. Tamen ea quæ conjunguntur utri.
السلام 18. معلوم است از مقرون كه اين گمان
que, hoc omnino non ita esse ostendunt. 19. neque e-
صورت نتواند قطعا 19. چه اختصاص
nim Davidi potest competere quod additur: *Ego hodie*
باو نتوان داشت انچه متصل نهشته يعني ايمن
genui te. Et quod subditur: *Dabo tibi gentes hæreditatem*
و امتانرا ميراث توسازم و حدود زمين
tuam & possessionem tuam terminos terræ, 20. Cum ejus
بتصرف تو آرم 20 چون حكومت او
regnum non usque ad terminos terræ fuerit dilatatum, ut
حدود زمين محدود نشد چرا ز حكايت اسفر الملوك
historia libri Regum declarat. 21. Neque etiam Salomoni
ظاهر و معروفست 21. و نيست هم صحيح بر
potest omnino competere quod dicitur: *Ipse invocavit me*
سليمان نسبت ان كلام او مرا خطاهد خواند پدر
P. meus es tu: cum subdatur *ponam in sæc. sæculi semen ejus,*
من تو اي چون متصلش گفته اين نسل اورا دهم تا روزگار
& thronum ejus sicut dies cœli. 22. Unde datur intelligi
و تخت اورا همچون روزهاي آسمان 22. از كه فهمانيده
